IACOBVS PONTANVS PARTHENIANIS SODALITATIBVS APVD Gymnasia Societatis IESV S. P. D.

PRiscos Poëtas crepare diuinum spiritum nescio quem, quo afflata, & nutrita eorum pectora admirabiles carminum fœtus, tanquam deorum dona ac munera ad hominum genus proferrent, non vos latet adolescentes integerrimi atque doctissimi. Vnde etiam sanctos siue sacros, cælestiumque clientes & alumnos haberi se, vocariq; triumpharunt. *At sacri vates,* inquit Naso, *& diuûm cura vocamur.* Sed si quis cordatus eorum futilitates, & matæologias cum nostrarum, id est, Christianarum hypotheseôn veritate, grauitate, diuinitate contenderit, prædicationem istam in homunculos illos falsò, in nostros autem vates verissimè, ac iustissimè conferri vel iusiurandum magna voce iurare non detrectabit. Qui locus quoniam clarus, & apertus est satis, mittam

tam eum declarare, & aperire pluribus. Ego igitur cum nuper me, longo sanè interuallo, ad studium applicassem musicum, vt Terentius loquitur, & quasi colligendi mei caussa in loca quædam lætissima, fortunatorumque nemorum vireta amœnissima secessissem, cœpi fructum non mediocrem huius secessus mei: varios etiam inde flores, aspectu, odoratuque singulares mecum abstuli, quos in fasciculos aliquot constrictos, & per hosce libellos disposita serie collocatos, ad religiosam, & castam animorum voluptatem tractandos, vestris cœtibus offero. Illius namque & opibus adiutus, & hortatibus confirmatus, qui petenti à se, nihilq; hæsitanti sapientiam tribuit, de rebus sacrosanctis, suaque natura & ingenio (ita mihi quæ spero & opto eueniant) multò suauissimis opusculum hoc, quàm felici successu equidem ignoro, certè nec languenti studio, & inflammata voluntate contexui. Quod cur FLORIDORVM inscriberem, videbam caussæ multum. Quid enim? an non flosculus candidissimus puer IESVS? cuius infantia vt tum nihil arbitror potuisse reperiri ad intuendum amabilius: sic hodie nihil excogitari posse existimo ad considerandum, contemplandumq; dulcius. An non flos purpureus idem grandior, cum ob scelera hominum suomet purpuratus incessit sanguine? Sic igitur cādidus est,

vt sit

vt ſit etiam rubicundus. Nec vel minor, vel minus pijs animis iucunda odorum ex eo ſuauitas efflatur cum rubet, quàm cum candet. De matre autē domini quid ego dicam? cuius flores ſunt fructus honoris & honeſtatis. Nonne ipſa eſt lilium inter ſpinas? Nonne plantatio roſæ in Hiericho? Delectatur item mirificè floribus, & ipſa quoque flos eſt fragrantiſſimus charitate vulnerata anima, quæ Dei ſponſa dicitur, & exclamat: *Fulcite me floribus*; rurſumq́;, *lectulus noſter floridus eſt*. Ad extremum, quot florum millibus, & quàm nitidis, quàm redolentibus paradiſum illum cæleſtem putemus conſitum? Lactantius quidem ille, cui lactea fandi copia, cælum hoc præclariſſimum atq; pulcherrimum Dei opus intermicantibus aſtrorum luminibus tanqum floribus adornatum eſſe ſcribit. Ego beatos, præſertim vbi in corpora reuerſi fuerint, ſeu, vt habet Apoſtolus, vbi hoc mortale immortalitatem induerit, & fulgore membrorum ſtellarum lucem ſuperauerit, rectius cæli flores poſſe nuncupari cenſuerim.

Quare hoc Florilegium meum vobis, Adoleſcentes, in exigui loco munuſculi impertior. Vobis, inquam, qui virtutis officia cum laboribus litterarū coniungitis. Vobis, qui Gymnaſiorum noſtrorum ornamenta eſtis, eorumq́;, & vniuerſæ iuuentutis Chriſtianę flores, atque

ita Christi bonus odor in omni loco: Vobis demum, qui matris Opt. Max. cui plures in hoc monumento partes dedimus, studiosissimi cultores auditis. Eius fidei me inter comprecandum commendare ne grauemini, magnoperè vos, & impensè rogatos velim. Valete.

Augustæ XII. Kalend. Decemb.
Anno M. D. XCV.

Pio,

Pio, & candido Lectori.

QVæ me caussarum momenta potissimùm ad isthæc poemata meditanda sollicitarint, adeoq; impulerint, faciam vt iuxta mecum scias. Hoc agam primùm. Deinde vero de singulis opusculi mei partibus (quinæ autem sunt, quod cernis) seorsim nonnulla te monebo, quibus efficiam, vt omnem consilij mei rationem, scopumq́; ad liquidum perspicias: quem quidem te pro pietate, rerumq́; cælestium appetitione tua vehementer amplexurum in spe optima pono. Pariundum fuit aliquando, quod iam pridem parturiui, & in negotio omnium calculis honestissimo sanctissimoq́; obsequendum mihimetipsi. Trahit sua quemque voluptas: varia sunt hominum iudicia, variæ voluntates: hoc meum iudicium, hæc mea & voluntas, & voluptas. In his materiæ generibus elaborandum duxi: quæ qui vno volumine omnia, hoc ordine, tot paginis, ista carminum diuersitate, eodem fine mecum pertractauerit, adhuc extitisse opinor neminem. Conterant igitur tempus, & ingenia sua, quibus lubet, in rebus aut leuiculis, aut commentitijs, aut pudendis etiam: dum ista uobis Christianarum, dulcium, & flammantium quoque plena

affectionum, quas pro viribus exprimere pàßim, enisus sum, relinquant. Præter hæc exemplo meo (quanquam & alij multi id ante me præstiterunt) hominibus nostris, quisnam verus, Deo acceptißimus, ipsis gloriosus poeseos Christianæ vsus demonstro: delicatioris, puta, illius, & ad neruorum quoque, vocumq; modulos accommodatæ, quam vocamus lyricam. Dederit alijs Musa fidibus

——— diuos, puerosque deorum,
Et pugilem victorem, & equũ certamine primũ,
Et iuuenum curas, & libera vina referre:
Nobis non licet esse tam profanis,
Qui Musas colimus sacratiores.

Tametsi poesis nostra potius miscella est, nec in vno quodam certo, ac perpetuo genere carminis versatur, vnde nomen vnum sortiatur. Seruiuimus rebus subiectis, quibus aliud alio magis idoneum videbatur. Voluimus occurrere satietati, quam parere similitudo, vt delectationem varietas consueuit. Denique nos haud sine duce aliquo, & exemplo fecisse quod fecimus, humanior nemo inficiabitur.

DE

DE PVERO IESV.

ET infans hic verus homo prorsus, nostriquę similis in omnibus & singulis, præter peccatum, fuit: & mater eius vera mater. Quocirca cum ille fecit & tulit, quæ nos in illa ætatula solemus, tum hæc omnia ei materna officia diligentissimè, amantissimequę persoluit. Quomodo autem persoluit, si ei nunquam blandiebatur: si attingere, circumferre, papillam dare, lauare, fasciare, cunabulis reponere, amplexari, osculari non audebat? Si pro materno eum iure tractare non poterat? an forte nolebat, & quemadmodum mulieres nobiles consueuerunt, nutricis, ancillarumquę opera vicaria vtebatur? Non est hoc Virginis paupertati, humilitatiq; consentaneum, non est. Quæro etiam quomodo gaudia matris habuerit cum virginitatis honore, quod ipsi canit Ecclesia, si solemnia matrũ non præstitit? Non tam igitur verisimilia de puero, & eius genitrice excogitaui, (quod Poëtæ satis est, ea videlicet dicere quæ potuerunt fieri, id est, rei naturæ consentanea, quamuis facta non sint, nec futura sint, qualia etiam multa sæpe concionatores, & contemplatores sacri dicunt) quàm vera descripsi. Hinc & illud sequitur: si ridiculum & ineptum est negotium, accusare pictorem, (quem & ipsum naturæ simulatorem, imitatoremuę possis dicere) quia puero Iesu in manum aut auiculam, aut flosculum dederit, aut ad pedes eius catellum dormientem, An-

gelos cunis circumfusos, matriq; ministrantes, & similia pinxerit, non nisi pinguem fore, & mucosum aliquem, qui picturas meas, & quidem loquentes culpauerit. Quod si fictiones nostræ copularent placidis immitia, & geminarent serpentes auibus, tigribus, agnos, vt Horatij verbum est, nempe si ea coniungerem atque commiscerem, quæ propter naturæ discrepantiam neutiquam cohærent, minimeq; consentiunt, tum demum iustam reprehensionem non effugerem. Atque hoc ita dico, vt id vniuersè de omnibus hisce libellis mois accipi postulem. Nec tamen non etiam diuinè hunc Virginis partum tractamus, suamq; ei maiestatem conseruamus. Immò verò in hoc, quemadmodum decuit, plurimi sumus. Concludam in pauca. De puero IESV humana scribimus & puerilia? Homo est, & homo puerulus est, nostræ conditionis absolutè particeps, & tanquam vnus ex nobis Diuina cantamus, & omnino virilia? DEVS est, & vir est ille, quem fœmina circumdrdit.

DE LIBRIS DOLORVM.

QVia & dolenter omnia dicuntur, & is de de quo dicuntur, humani generis Saluator, foris atque intus dolet, ibi tormenta sua, hic peccata nostra, non malè puto his libris hunc præscriptum indicem. DOLORES, inquam, appositè mihi videor appellasse. Ac priore quidem libro cruciatus, & necem domini, more quodammodo piè medi-

tantium persequor. Altero eandem effusiùs lugeo ac deploro: IESVMq; exanimem, & instrumenta mortis eius Christianè veneror. Atq; istiusmodi quoque meditationibus tanquam floribus recreatur, & sese mirabiliter oblectat Dei amore incensa mens: cui Paßio ista salutifera cogitatu est γλυκύπικρος. Amari sunt ei dolores & cruciatus grauißimi, quos subijt IESVS, & caussæ propter quas subijs. Sed incredibili modo dulcis charitas inaudita ex qua, patientia, mansuetudo, obedientia, cum qua, subijt. Iam quod aio DEVM flagellatum, mortuum, &c. scito hæc tam vere affirmari, quàm illa, DEVS iacuit in præsepi, Deus esuriuit, sitiuit, captus, ligatus est, & alia multa. Hæ enuntiatioues ideo veritatem habent, quod quanquam hæc omnia in Christum vt hominem conueniunt, tamen quoniam de illa persona, quæ simul perfectus DEVS, perfectus homo fuit rectè dicuntur, rectè DEO etiam omnia tribuuntur. Mortuum esse pro nobis Deum, ipse Ioannes in epistola affirmat. In hoc apparuit charitas Dei, quia ipse animam suam pro nobis posuit. *Et quanquam res perspicua est, tamen dabis mihi paulùm operæ, dum Origenis tibi clarißimi Theologi aurea verba recito, Lib. 2. περὶ ἀρχῶν, seu de Principijs, capit. 6.* Ex omnibus, *inquit*, de Christo miraculis, & magnificentijs illud penitus admirationem humanæ mentis excedit, nec inuenit mortalis intelligentiæ fragilitas,

quomodo ſentire, vel intelligere poſſit, quid tanta illa potentia diuinæ maieſtatis, ipſum illud verbum Patris, atque ipſa ſapientia Dei, in qua creata ſunt omnia viſibilia, & inuiſibilia, intra circumſcriptionem eius hominis, qui apparuit in Iudæa, fuiſſe credenda ſit: ſed ingreſſa eſt Dei ſapientia vterum fæminæ, & naſci paruulus, & vagitum emittere ad ſimilitudinem plorantium paruulorum, &c. Et hac de cauſſa per omnem ſcripturam tam diuina natura humanis vocabulis appellatur, quàm humana natura diuinæ nuncupationis inſignibus decoratur. Magis enim de hoc, quàm de vllo alio dici poteſt quod ſcriptum eſt, quia erunt duo in carne vna, & iam non ſunt duo, ſed vna caro. Magis enim verbum Dei cum anima in carne vna eſſe, quàm vir cum vxore, putandum eſt, &c.

DE VIRGINE MATRE.

NIhil tam illuſtre & magnificum de matre iſta afferre poſſumus, quin id eius inexplicabilis dignitas & excellentia multùm exſuperet. Omnis autem nobilitatis eius, laudumque vna origo, vnus fons, quem peperit, DEI filius, ipſe verus, æternus, omnipotens Deus: ob quod eam ne Angeli quidem ſatis honorare ac prædicare queant. Hinc dominam, reginam, præſidem, ſpem, cuſtodem ac vindi-

cem,

cem, & patronam nostram, & ἀλεξίκακον, seu malorum depultricem salutamus: quia nemo ea plus apud filium autoritate & voluntate potest. Præterea ipsam, aliosqúe diuos, etiam cooperire, soluere, abluere delicta nostra, certo quodam ac pio intellectu, & secundùm Deum, cum Ecclesia Catholica dicimus, sine vlla impietatis nota: secus quàm hæretici, contemptores superûm, de nobis contumeliosè mentiuntur. Veruntamen ista mediatrix nostra, & diuûm hominumqúe imperatrix etiam olim virguncula, & prorsus infantula, suorumqúe parentum, & sine dubio Angelorum oblectamentum atque delicium fuit. Quare in huius quoque infantiam aliquot cum veneratione lusiunculas conscripsimus, & huic reginæ orbis totius vitam propagare incipienti, modestè, vt quidem oportuit, ac piè blanditi sumus.

DE SPONSALIBVS.

C*Vm sponsa Christi alia sit Ecclesia, quæ generalis sponsa: alia anima (vt cum pijs scriptoribus loquar) deuota, virtuosa, amorosa, quæ particularis: alia ipsamet eius mater, quæ singularis sponsa cognominatur, epithalamium Salomonis, quod Cantica Canticorum inscribitur, in omnes, potissimùm verò in primam quadrat. Nos his duobus libellis mediam illam sponsam habemus propositam: & in priore nostro arbitratu delectas ex*

eodem epithalamio sententias posuimus, quarum nobis allegoriæ sensusue arcani faciliores videbantur: quos quidem non ipsi commenti sumus, sed è sacris interpretibus pro mutuis sumpsimus. Cum autem, teste Origene, sint velut quoddam drama composita τὸ ἄσμα τῶν ἀσμάτων, & in iis diuerbia personarum quatuor, sponsi, sponsæ, adolescentularum, sodalium sponsi, quos Angelos conuenit intelligere μυστικῶς, vt nomine adolescentularum animas religiosas, sponsæ comites, & discipulas, ipsas quoque sponsi peramantes, (quanquam non adeo perfectæ cumulatæq; virtutis, quam ipsam ob causam νεάνιδες dicuntur) ego quoque hanc distinctionem secutus, nunc his, nunc illis sermonem dedi: vel potius iam olim à Spiritu sancto datum aliquantum dilataui, simulquè choros, quibus diuinus ille, & sacrosanctus amor celebraretur, interiiciendos duxi. Bene autem & sacræ litteræ, & SS. Patres istam intimam familiaritatem, dulcissimumquè commercium DEI, & animæ sanctæ, quod caro & sanguis experiri nequit, nec cuiusmodi sit, potest intelligere, Sponsi Sponsæquè vocabulis significarunt. Id pulchrè D. Bernardus, eximius ipsemet huius amicitiæ fœderisque Mystagogus, animarumquè Paranymphus his verbis docuit, Homil: 7. super Cant. Excellit in naturæ donis affectio hæc amoris: præsertim cum ad suum recurrit principium, quod est DEVS. Nec sunt inuenta æque dulcia nomina, quibus verbi animæque dul-

ces ad inuicem exprimerentur affectus, quemadmodum Sponsus, & Sponsa: quippe quibus omnia communia sunt, nil proprium, nil à se diuisum habentibus. Vna vtriusque hæreditas, vna domus, vna mensa, vnus thorus, vna etiam caro. Paulo post. Si ergò amare specialiter Sponsis principaliterque conuenit, non immeritò sponsæ nomine censetur anima quæ amat. *Iam quod Canticorum lectoribus Patres præcipiunt, idem ego mearum παραφράσεων, meorumqúe versiculorum lectoribus præcipiam: vt animos vitiosis & impuris affectibus vacantes afferant: ne quod ego dextra porrigo, illi sinistra arripiant: ne cum corporea legerint, in corporeis, ac sub sensum cadentibus defixi hæreant: sed mentes attollant, & ad spiritualia, quæ per ista necessariò significantur, transferant. Quandiu enim inclusi sumus in his compagibus corporis, nil nisi per species rerum sensu perceptarum intelligere, atq; cogitare possumus. Quare ipse quoq; amor ergo Deum noster, cogitationesq; Deum amantium, huiuscemodi rerum simulacris minimè vacant. Annumerabo verba D. Gregorij ex præfat. in Cant.* Hoc nobis solerter intuendum est, ne cum verba exterioris amoris audimus, ad exteriora sentienda moueamur, & machina, quæ ponitur vt leuet, ipsa magis opprimat, ne leuemur. Debemus ergo in verbis istis corporeis quicquid interius est quærere, & loquendo de corpore, quasi extra corpus esse.

Qui

Qui igitur hunc librum legit vel audit, nihil passibile, aut sensuale habeat in corde, vt secundùm interiorem hominem noua creatura sit. *Non sunt admodum dissimilia, quæ lego apud Origenem Homil. 2.* Omnes animæ motiones vniuersitatis conditor Deus creauit ad bonum: sed pro vsu nostro fit sæpe, vt res, quæ bonę sunt per naturam, dum male his abutimur, nos ad peccata deducant. Vnus de animæ motibus amor est, quo bene vtimur ad amandum, si sapientiam amemus & veritatem. Quando vero amor noster in peiora corruerit, amamus carnem & sanguinem. Tu igitur vt spiritalis, audi spiritaliter amatoria verba cantari, & disce motum animæ tuæ, & naturalis amoris incendium ad meliora transferre. *Quo pacto autem duo homines à Deo sint conditi, exterior & interior, ille è limo terræ, hic ad imaginem ipsius: & quomodo sanctæ litteræ vocabula membrorum partiumq; illius ad huius quasi membra, partes, affectus, vires, efficientiam transferre soleant, idem copiosè in prologo demonstrat. Quare quid sibi in hoc sancto carmine nuptiali collum, oculi, genæ, vbera, labia, venter, & cætera velint, cognoscendum est. Et hactenus de libro primo. In secundo certa capita rerum delegi, quæ omnia ad Sponsam quoque appositissimè pertinent, & illius quotidianæ exercitationes quædam, atque curricula sunt, per quæ placere conatur ei, cui se probauit.*

Porrò

Porrò si qui poetas veteres, vt in aliis, sic in huiuscemodi arcanis, nec insuauibus argumentis ad vtilitatem suam trahere nouerunt, illorumque ostro, & gemmis scripta sua cohonestare, & tanquam de cypreßinis tabulis, de laminis argenteis & aureis alicui antea vt idolio, vel lupanari affixis, ædem domino conuestire (quod me laborasse, quanquam parcius, non diffiteor) nequaquam, vti reor, in vitio ponendi sunt: non enim id illi ingratum accidit. Nam in vasis quoq; in vestibus, ac spoliis Aegyptiorum, de quibus Moyses tabernaculum construxit, sine dubio multa erant scelera commissa, frequens idololatria perpetrata.

DE NVPTIIS AGNI.

QVia secretißima, purißimaq; animæ cum Deo coniunctio, futuri illius connubii in cælis olim peragendi proœmium quoddam, & initiamentum videtur, malui partem illam sponsalium nomine, hanc autem postremam, id est, octauum librum cum B. Ioanne in Apocalypsi DE NVPTIIS AGNI appellare. Christus etiam ipse apud Matthæum nuptias vocat. Hæ nuptiæ, quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quales, quantisque refertæ gaudiis futuræ sint, hoc est, quæ diligentibus se Deus præparauerit: si cui videbor succinctior, magisq; in malis quæ aberunt, quàm bonis quæ aderunt, orationem consumere, ne mi-

ne miretur. Et tamen non parum quàm felicem ac beatam vitam expectemus, hoc ipso cognoscimus, quia tot malis penitus penitusq; libera sit: cum ista quam degimus, idcirco tam infelix, & ærumnosa censeatur, quia tot malis abundat. Tu lector occasione à me dictorum meliora meditabere. Ego te saltem excitabo paululum, vt spero, ad istas nuptias vt te compares, & oleum ad pascendum lampadis tuæ igniculum tibi prouideas.

DE SECVNDA EDITIONE.

VT tuo in Deum, eiusque matrem studio ac pietati cõsuleremus amplius: & quam te nostris legendis accepisse oblectationem speramus, cumulatiorem deinceps faceremus, plus septingentos versiculos diuersis locis addidimus. Multa item meliora, pleniora reddere studuimus. Librarij lapsus correximus. Quas maculas aut incuria nostra fuderat, aut (quod credi aliquantò malumus) humana natura etiam cauendo parum cauerat, sustulimus. Nonnulla, quæ vel magnorum Poëtarum exemplis, vel probabili ratione,

tione, vel necessitate metrica defenduntur, reliquimus. Nec veremur, ne furam idcirco præbere iubeamur. Libellum, quod in nobis fuit, perpoliuimus. Proinde hanc editionem præ illa priore, & alijs, si quæ forsitan priorem imitatæ apud exteros prodierint, tibi commendatam percupimus. Cui insuper iconibus in æs incisis (quod optabatur à plerisque) non vulgarem elegantiam conciliauit vir amplissimus, D. Marcus VVelserus, Cos. Augustanus. eius beneficio & fauore, tanquam fœcunda aura Fauonij, Florida mea reflorescunt, & in tuas manus iterum veniunt. Quocirca par videtur, vt virum hunc Reipub. literisque natum, & suis ipsummet scriptis bene notum, iuxta mecum ames, illique fausta omnia in omnibus quæq; cogitat, quæque agit, à Deo comprecere.

Ad Cælites προσευκτικόν.

PEr loca fert animus vestigia ponere nondum
Cuiusquam calcata solo, ac de fontibus vndas
Libare integris, mihi festum & plectere sertum,
Vnde alijs necdum cinxerunt tempora flores.
Nam Venerem, & Veneris puerũ, damnosaq́; furta
Despiciens, veterum nugas & carmina vatum,
Longè alios longè cantando molior ignes,
Atq; alium puerum, atq; aliam describere matrem.
Felices diui, quorum, dum vita manebat,
Pectora ter sanctos hauserunt sancta calores,
Vanaq́; curarum, & stolidi contagia mundi
Dum fugiunt, Superûm facere optatissima Regi
Sunt connixa: agedum, precor, aspirate canenti.
Siq́; merebuntur (propriam quia metior vmbram)
Christiadis nostros commendatote libellos.
Vt maneant facitote in sæcula multa perennes.
Me legat, & relegat cui sunt cælestia cordi:
Qui vel amaritiem vetitorum expertus amorum est,
Vel qui siderei partem gustauit amoris.

INDEX

INDEX POE-MATIORVM.

LIBRI PRIMI.

De puero Iesu.

PARAPHRASES.

IX. Muræ-

III, Filiæ

LIBRI

LIBRI SECVNDI,
Qui & primus Dolorum.

XXIV. Ma-

LIBRI TERTII,

Qui & secundus Dolorum.

LIBRI QVARTI,

Qui & primus de Virgine Matre.

IMMACVLATA MARIAE CONCEPTIO, ET SANCTIFICATIO.

ORTVS ET INFANTIA.

OBLA-

OBLATIO, ET STVDIA IN TEMPLO.

DESPONSATIO.

ANNVNCIATIO.

VII. Diuo-

LIBRI QVINTI,

Qui & secundus de Virgine Matre.

LIBRI SEXTI, Qui & primus Sponſalium.

CHORI DVO.

X. Adiuro

CHORI.

CHORI.

CHO-

CHORI. LIBRI SEPTIMI, Qui & secundus Sponsalium.

IN SANCTISSIMAM EUCHARISTIAM, DIVINI AMORIS ALIMENTUM

ASCETICA, SIVE QVOTIDIANA SPONSAE EXERCITIA.

AVCTARIVM EX DICTIS ALIQVOT SANCTORVM.

V. Domine

LIBRI OCTAVI,
De Nuptiis Agni.

Inui-

D. Bernard.

D. Bernardus de Paſsione Domini, cap. 43.

DAbit Ieſus ſalutem,quia ſalutaris eſt. Dabit Chriſtus regnum, in quo gloria cum diuitijs habetur,quia vnctus eſt, ꝙ propriè ad regem pertinet. Dabit Nazarenus delicias,quia florens eſt. Quid enim iucundius flore? Multi autem,imò omnes,id eſt,omnium virtutum flores in noſtro Nazareno ſunt, quarum delectabili odore totum mundum traxit poſt ſe. Nam qui veniunt ad ipſum propter humilitatem, violæ eius ſequuntur odorem: qui propter caſtitatem, lilij: qui propter abſtinentiam, croci ſequuntur odorem. Superat autem omnes odores omnium virtutum vncti Ieſu, odor crucifixi, vbi perfectio præcipuè effloruit, & de floribus vulnerum ſuorum inęſtimabilem odorem effudit.

Idem, de diligendo Deo.

DElectatur floribus Chriſtus, qui in Nazareth & concipi voluit, & nutriri. Gaudet ſponſus cæleſtis talibus odoramentis, & cordis thalamum frequenter libenterq; ingreditur, quem iſtiuſmodi refertum fructibus, floribuſque reſperſum inuenerit. Vbi ſuæ videlicet aut paſſionis granum, aut reſurrectionis gloriam ſedula inſpicit cogitatione verſari, ibi profectò adeſt ſedulus, adeſt libens.

Idem,

Idem, serm. de Natiuitat. Beatæ Mariæ.

HOrtus deliciarum nobis sacratissimus tuus vterus ô Maria: quia ex eo multiplices gaudij flores colligimus, quoties mente recolimus, quàm magna multitudo dulcedinis toti orbi inde affulsit. Hortus conclusus tu es Dei genitrix, ad quem deflorandum manus peccatoris nunquam introiuit. Tu sanctorum areola aromatum, à cælesti consita pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus vernas. Meritò de Dei areola flos ille speciosus præ floribus paradisi electus est, super quem requieuit spiritus domini. Et cui te assimilabimus mater pulchritudinis? Vere paradisus Dei tu es, quia lignum vitæ mundo protulisti, de quo qui manducauerit viuet in æternum. Fons vitæ qui ex ore altissimi prodijt, de medio ventris tui exiliuit.

Errata emendata.

Pag. 46. *vers.* 10. *liuor.* 48. 16. *corripuisse.* 54. 9. *plaustris.* 59. 12. *canis.* 86. 3. *Sanctis.* 109. 18. *pro sensiliumq; lege labiliumq;.* 135. 2. *cuncti.* 139. 20. *montibus.* 224. 24. *hortuli.* 235. 8. *nocere.* 252. 6. *afferet,* 266. 15. *nostra.*

FLORIDORVM
LIBER PRIMVS.
De puero IESV.

PARAPHRASES.

I. Puer natus est nobis, & filius datus est nobis.

O Quæ porto bona, ô diem auspicatum.
Cælestem fero nuntium per orbem.
Magnus qui fuit, est, eritq; magnus,
Vnus temporibus priorq; cunctis,
Rerum immensa, hominum, Deûm potestas,
Est nostri generisq; , sanguinisq;
Pusillus puer absq; patre natus,
Suorum in medioq; seruulorum.
Ecquis huic similem notauit ortum?
Quid par fama tenet? quid ipsa tale
Vnquam vidit, & audijt vetustas?
Quorum tam noua litteræ loquuntur?
Felix progenies, parens beata:

Gentes ast hominum beatiores.
Nunc nunc gaudia festa gaudeamus.
Ad genethlia casta iubilemus.
Quis partum sciat hoc celebriorem?
Quis lucem velit hac secundiorem?

FILIÆ SION AD PVERVM.

II. Quis det nobis, vt inueniamus te fratrem nostrum, & deosculemur te?

A*Rce olympiaca Deum relicta*
Ad terras aditum tulisse narrant,
Infantemq; iacere vagientem, ac
Nostrum de reliquo esse velle fratrem,
Nostrum (ô quæ bonitas) & esse fratrem.
Quo nos calle igitur sacrum huncce fœtum,
Quo quæremus & innubam parentem?
O si repperiamus, vt iuuabit
Tuos, ô puer, aureos ocellos
Vsque ad millia basiare centum?
Nec verò saturare cor licebit,
Quantumuis segetum aridis aristis
Antistent numero osculationes.

MATER FILIABVS SION.

III. Inter vbera mea commoratur.

Puden-

PVdentißima virginum caterua,
Voluptas superûm, meæ sorores,
Quem dudum reperire concupistis,
Et fratrem, & dominum, Deumq; vestrum,
Cernitote meo sinu latentem,
Inter vbera nostra commoratur.
Ergo si lubet huc viam vorate.
Vobis, sumite, paruulum meum do:
In vestris auidè quiescet vlnis.
Qui cum ludite amantibus iocellis,
Et coniungite suauiationes.

FILIÆ SION MATRI.

IV. Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.

PRæcellens vterus, puella fælix,
Dei cuncta regentis aula, templum,
Nutrices quoq; ter, quater beatæ,
Quibus nectare cælitus repletis
Inhærens alitur Deus deorum.
Ventre, & vberibus tuis dedisti
Dona terrigenis, meri, vnguinumq;
Omnes quæ superant amœnitates.
Vinum, vnguenta valete, nulla vobis
Insunt commoda, nulla suauitudo:
Nostræ Virginis vberum liquores
Longè præferimus, valete longùm.

PVER MATRI.

V. Ecce tu pulchra es, (mater mea) ecce tu pulchra es.

VT pulchra es mea gnata, sponsa, mater.
Et formosior omnibus puellis?
Qualis quando cauum repleuit orbem
Candore, & radio nitente fulget
Luna argentea, noctibus ministrans.
Quale rosidulo educatur horto
Natis cum beneolentibus Fauonî
Lilium niue purius recenti.

MATER PVERO.

VI. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus.

TE verò mea dulcis ô propago
Haud est pulchrior ipsa pulchritudo.
Præ natis speciosus omnium tu
Quæ sunt, quæq; fuêre fæminarum.
Nec insignia tanta flosculorum.
Nec tantum decus inter astra solis.
Nec tantus nitor omnium nitentum.
Vni se tibi nostra forma debet:
Nulli se tua nate forma debet.
Dilectus meus est decor decoris.

ANGELI AD MATREM.

VII. Qualis est dilectus tuus ex dilecto? ô pulcherrima mulierum.

DIc nobis age dic verenda mater,
Dic laus fœminei, caputq; sexus.
Formosissima pande fœminarum:
Dilectus tuus iste cui reducis
Sinum turgidulum, labella cui das,
Aeterno genitore procreatus,
Quum nec orbis erat creata moles,
Atque idem tibi filius creatus,
Qualis nam tibi, quantus & videtur?

MATER AD ANGELOS.

VIII. Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.

VVltis cælicolæ æstimationem
Cognouisse meam? puellus iste,
Thesaurus meus iste, corculumq;,
Cuius me assidui coquunt amores,
Prorsum est candidulus, rubensq; prorsum.
Vt nix cum minio, vtq; lacte puro.
Si spargat rosa purpuræ colorem.
Se miscent in eo rubore candor,
Et candore rubor, quòd ignis ille
Charitatis ei exedit medullas.

Est porrò Deus ipsa puritas, est
Innocentia, sanctitas & ipsa;
Candidus mihi propter hoc habetur:
Cui nec millia comparem trecenta.
Multis millibus antepono solum,
Solum hunc deligo, diligoq́; , amoq́;.

FILIÆ SION PVERO.

IX. Murænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.

INfans bellule, pusioq́; sancte,
Matris è gremio tuæ micante
Vt ridebis amabilis labello?
Nam murænula fabrefacta de auro,
Argento & decorata quàm decenter
Circum colla dabit tibi venustè.
Vt ridebis ad iniugem parentem?
Nec sat hocce, manus tenellulasq́;
Quin dextrariolis reuinciemus.
His pellucidulos item lapillos,
Et corallia splendida inseremus.
Ridebis puer alme dulcè matri.

ADORATIONES.

I. Mater.

PRoles altitonans, quas tibi gratias
Aut dicam, aut habeam? laudibus ô quibus
Te laudem? quoniam tanto hominem supra
Me mirabilibus tollis honoribus.
Qui nusquam caperis, te mea viscera
Cœperunt, genitorem genui meum.
Pasco lacte meo, qui mihi dat cibum:
Istis te tenerum gestito brachijs,
Qui bis bina Deus corpora sustines,
Rebus corporeis materiem suam.
Vnde hoc alme puer contigit, vt mihi
Vnus tu fieres cum PATRE filius?
Quonam quo pretio sum genitrix Dei?

II. Angeli.

DAntem sceptra pari cum Patre gloria,
Complentemq́; locum quemlibet, omnium
Maiorem, seniorem,
Te cælis colimus probè.
Nostri dißimilem, terricolis parem,
Effectum puerum non pueriliter
In terris veneramur,
Verum te colimus Deum.

Exultent homines: quod precibus bonis
Optarunt toties tempore pristino,
Sed non promeruerunt,
Illorum in medio Deus.

III. Iosephus.

QVi victum tolero manu,
Et tracto fabricam materiariam,
Audio genitor tuus,
Quem iustè vocitent cuncta fabrum suum.
Antiquißime pusio.
Tu palmis mihi das tangere sidera.
Ceu stirpem te habeo meam.
Balbus fio tibi, ludo, iocor tibi.
Præsto me gerulum tibi.
Crebrò suauiolum surripio tibi.
Consortem quoque me tuæ
Decernis genitrici. Egregium decus.

IV. Tres Reges.

MIllenûm stadiorum iter volamus
Quantumuis gelida vigente bruma,
Te, mirande puer, tuamq; matrem
Visum istis oculis, pieq; cultum,
Nuper quos animus videns colebat.
Nec nos hoc stabulum abstinet, nec ipsum
Præsepe, & lachrymæ, atque solitudo.
Non hæc pauperies suprema terret.
Regem credimus esse te, Deumq;,

Aetates

Aetates genitum ante sæculorum.
Quem commiſſa ſubire noſtra corpus
Fecerunt. Arabum capeſſe odores,
Queîs fumare tuas oportet aras.
Poſt, auri cape regij talenta,
Et caducus homo capeſſe myrrham.

V. Paſtores.

GAudium nouum iubemus
Te puer cum gaudio.
Præpes ille nuntiauit
Te ſalutis principem
Nocte natum hac Bethleemi
Oppido obſcuriſsimo.
Paſtor vnus, rector vnus,
Vnus idem conditor
Vniuerſitatis huius
Lectulo duriſsimo,
Beſtias inter reponis
Molle quî corpuſculum?
O quis iſtuc conſequatur
Cogitationibus?
Dona ſume, ne repelle
Dona agreſtûm quæſumus:
Et viciſsim munerare
Nos beatioribus.

VI. Simeon senex.

VLnis fero, qui me, immò qui omnia sustinet,
Paruus puer, magnus Deus.
Tu vera lux illuminandis gentibus,
Effusa cæli sedibus.
Salue Israelis vna laus, & dignitas,
Solidaq; gloriatio.
Te cerno, tango, gesto, teq; exosculor,
Tu liberator es meus.
Dissolue nexus, aufer arctas compedes,
Ad te sine, Pater, euolem.
Promissa comple, filium aspexi tuum,
Nil intueri iam lubet.
Felicium ô quantum est vbique, quid potest
Felicius me dicier?

VII. Anna Prophetissa.

DEus Deus, persentio
Signis apertioribus
Non excidisse me tibi
Lustris grauem frequentibus.
Te vita cælebs recreat,
Tibi placent ieiunia,
Vigilare noctes te capit,
Amicus es precantium.
Ipsum mihi te cernere,
Ipsum manu contingere

Iam fas: sub hoc velamine
Cæleste numen delitet.
Quanquam pusillum conspicor,
Inter puellæ brachia:
Tamen fatebor omnibus
Annosiorem sæculis.

VIII. Filij hominum.

Ætheris celsi veniens ab oris,
Matris innuptæ veneranda proles,
Rebus humanis operam datura
Eia age salue.
Ad tuas accurrimus ecce cunas,
Tendimus palmas, petimusq; terram,
Teq; concordes prece blandiore
Multà rogamus.
Angeli laudes tibi concinentes
Te simul cælo, simul hîc adorant:
Nos quoque illorum studia æmulamur
Pectore puro.

IX. Sol, & Luna.

Non Sol ego, non Luna ego, tu paruule
Germanus es Sol, Luna germanißima,
Lux ipsa lucis, lumen atque cordium.
Exorta semel hunc ante mundum conditum,
Non amplius orieris, & nunquam occides,
Ferrugo nec vultus tibi obfuscauerit.

Aeternitate ab omni in omnem ſplendidas
Vibras faces, nulla viciſsitudine.
Luces per atra noctis ambulantibus,
Nec mutuaris ab alio radios tuos,
Subiecta nemini, dominaq́; ſiderum,
Formoſitatem quis tuam laudet ſatis?
Non Sol ego, non Luna ego, tu paruule
Germanus es Sol, Luna germaniſsima.

X. Stellarum agmina.

DEcora Virgo, qualis,
Qualis, ſtupenda Mater,
Medio vberum tuorum
Vis ſideris coruſcat?
Iam ductor ille noſter
Polum valere iuſsit,
Sinum tuum profeſſus
Sibi polum futurum.
O Lucifer, quid iſtuc?
Tu regna noſtra ſpernis?
Iam cœtus ergo noſter
Tam candidus nitensq́;
Tot millibusq́; denſus,
Huius ſinu puellæ
Tibi vilior videtur?

XI. Cælum & terra, & omnia quæ in eis ſunt.

Tu qui

TV qui cuncta creas, crearis ipse?
Tu qui semper eras, modo inchoaris?
Sic est: verus homo, Deusq; verus
Rebus annumerare procreatis.
Hæc tua est pietasq;, largitasq;.
Te verbis, taciteq; prædicamus,
Te sanctè reueremur, atque iussis
Tuis obsequimur nihil morando.
Tu, quamuis puer ipse nutriendus
Nos nutris, regis, & foues benignus.
Quis mysteria tanta credidisset?

COMPLEXVS, ET OSCVLATIONES.

I. Poëta.

DAt vincla en roseo cupita collo
Cælestis puer, integramq; matrem
Stringit brachiolis, vide, implicatam.
En mater puero suo vicissim
Vlnas iniiciens inhæret vsque.
Non errans edera huc tenax & illuc
Ilicem patulam arctius ligârit,
Nec vitis magis assitamq; stirpem.

Eia mutua nectitote vincla,
O dulcis puer, ô puella dulcis.
Quid vinclis queat hisce comparari?
Amplexus poterunt amantiores,
Diuini poterunt mage inueniri?

II. FILIÆ SION, IOSEPH.

F. *Ioseph en agedum probate tutor*
Diæ Virginis, & Dei educator,
Duc nos ocyus intus ad parentem
Intactam, ad puerumq; præpotentem.
I. *Qua caussa properatis hucce nymphæ?*
Quid intus facietis? editote.
F. *Matri dicere venimus salutem,*
Adorareq; paruulum studemus,
Amplexu teneroq; confouere,
Labra iungere & illius labellis.
Tu bona hæc potes inuidere nobis?
I. *Patescunt aditus, adite, amorem,*
Si potest, satiate sauciatæ.
Istoc cum puero esse, ferre circum,
Hunc complexibus impedire, & illi
Mellitum imprimere osculum subinde,
Mihi quod licuit, quod & licebit,
Fando non queat exprimi voluptas.

III. Poëta.

I*Gnes ô puer, ô puer tui ignes*
Internas mihi macerant medullas.

Tecum

Tecum ludere, teq; gestitare
Immensum ardeo: verùm honore tanto
Haud dignum reputo. Tibi secus si
Videtur, quia nempe multum amas nos,
Nulla præmia postulans amoris,
Me constringe lacertulis, & vnà
Fer mî infantule suauium inuidendum.

IV. Mater.

SI des basiolum mihi
Parenti toties tuæ,
Quot fluctus Aquilo ciet,
Quot frondes nemorum cadunt,
Quot sunt æquore guttæ,
Non tu me inuenies pigram.
Quot dabis, totidem feres.
Reddam millia millibus,
O lux, ô anima, ô Deus,
O mi chare puelle.
Iuuat purpureis genis,
Labellisq; decentibus,
Gemmeis & ocellulis
Ferre suauia suauiter,
O mi chare puelle.

V. Angeli ad apiculas.

HEus innubæ volucres,
Quæ floridos per hortos,
Per rura odora, montes,

Per frondeasq; syluas
Depascitisq; rores,
Idoneosq; succos,
Ad factitanda mella:
Ne ne volate deinceps
Diuersa per locorum.
Huc ad labella Iesu,
Gemina rosis labella
Volate, & insidete.
Thyma hîc, & hîc anethum.
Hîc thymbra, rosmarinus,
Cytisusq;, liliumq;:
Hinc ducitote succos.
Hinc sugitote mella:
Hîc namque mella vestro
Mellitiora melle.

VI. Iidem ad matrem.

NOn sunt oscula, quæ tuo tam amanter
Soles pangere pignori frequenter.
Est mulsumq;, crocusq; saccarumq;,
Stacte cum casiaq;, bdellióq;,
Et nardum, & violæ, & seges rosarum.
Non sunt oscula, quæ tibi tam amanter
Rependit puer hic tuus frequenter.
Est mera ambrosia, est merumq; nectar.
Huius basiolis inesse certum est,
Quidquid esse potest piorum amorum.

Quid-

Quidquid esse potest lubentiarum,
Quidquid esse potest amœnitatum.

VII. Poëta.

EMmanuel Emmanuel,
Infantium sanctißime,
Qualis siet iucunditas,
Libare tibi coram oscula,
Cum sic imaginem tuam
Sæpe ac libenter osculer?
Mater sedens stantem tenet,
Tu pomulum aureum tenes.
Ridet serenula facies,
Spectantibusq; cor ferit.
Imitamini ergo isti tuo
Pudenter & castè insero,
Amantis animi symbolum,
Quotquot diebus osculum.

VAGITVS, ET LACHRYMVLÆ.

I. Poëta.

QVid vagis puer, & tibi subinde
Guttis vuidula obtuemur ora?
Non vagis tibi, non tibi calentes
Vultu lachrymulas madente fundis.

Sunt

Sunt delicta hominum nefanda certè,
Quæ tantum tibi concitant dolorem,
Istis imbribus irrigantq; malas.
Hæc tu sancte puer doles, & vnda
Nunc ista luis abluisq; sordes
Cunctorum populorum, at ipse quondam
Totos sanguinea lauabis vnda.

II. Idem.

GRatias tibi maximas habemus
Pro vagitibus omnibus tuis, &
Istis fletibus, ô Dei, ô puellæ,
Vtriusque eadem, vnica & propago.
Quantum nos decet indolere nostris,
Quando sic aliena tu dolebas?

III. Idem.

O Rem prodigiosam, & ô nouam rem,
Vt imis modo summa colligantur?
Inaudita, nec ante visa mundo,
Miscentur solitisq; & vsitatis.
Matrem cœpit habere qui creauit
Matrem ipsam: vbera ducit, omnibus qui
Opportunè animantibus dat escas.
Totus in gremioq; virginali est,
Qui terras quoque pertinet per omnes.
Stringunt fasciolæ imperantem olympo.
Vagitus ciet, ecce, lacrymatq;,

Consolatio tristium perennis.
Sed qui hoc tempore charitate nostri
Salsis manat aquis puer pedalis,
Post certas hyemes, iuuenta in ipsa
Manans sanguine fata sponte adibit.

IV. Ad angelos.

PEnnata quò iuuentus
Quò vos abisse dicam,
Tractare quid negotî?
Pedem referte cursim,
Circundatote cunas,
Herumq́; vagientem
Symphonia leuate.
Turmisq́; distributi
Pars iungitote voces,
Pars increpate chordas,
Pars fistula insonate.
Sic ille conticebit,
Proflabit atque toto
Pectusculo soporem.

V. Ad Matrem.

DIuina Mater, ecquid
Hunc accipis sonorem?
Ecquid benigna mater
Mittis tui per aures
Vagitulos alumni?

Potesne

Potesne sustinere?
Quid postulare credis,
Quid velle lacrymantem,
Nisi mammulam tuam, suam,
Aut dexteram, aut sinistram?
Grabatulo ergo tolle,
Vdasq; terge malas.
Da suauium, atque fontes
Cælo scaturientes
Ne denega querenti.
A se sibi paratos
Sine trahat, oro, succos.

VI. Ad Filias Sion.

OMnes cum lacrymis in hancce lucem
Natura instituente procreamur,
Atque à fletibus auspicamur æuum.
Sed infantia nulla lacrymata est
Vna hac dulcius. Vnus iste dignus,
Cui tergatis amabiles ocellos,
Cui solatiolumq;, ludulumq;
Detis, ô pia virginum corona,
IESV gaudia Filiæ Sionis.
Vos istas bene lacrymationes
Blandis vertere risibus potestis,
Quando isti puero estis in medullis.

CACHIN-

CACHINNVLI.

I. Poëta.

VAgitus tenues modò audiebam
Infantis pueri, genasq; guttis
Stare lucidulis simul videbam,
Meis cum se oculis profudit imber.
Iam nunc sed sine nube pura frons est:
Gaudentem aspicio, audioq; blandos
Vsurpare cachinnulos. Et ecce
Rursum humor mea salsus ora tingit.
Quid hoc esse rei putemus ergo?
Flens, ridens, hilarisúe, mœstulusúe
Pusio iaculatur hic amores.
Habent & lacrymas suas amores.

II. Idem.

RIde infantule noster, & cachinnum
Sustollens tremulum, audientibus da
Optatas epulas: nihil moramur
Humanos pueros: agrestè rident,
Iidem nimis indecorà plorant.
Ride paruule, paruulumq; pectus
Parui concutiant tibi cachinni.

III. Idem.

HEm fontium susurri,
Loquaculæq; lymphæ
Currendo dum lauatis
Pede trepido lapillos:
Hem sibili comarum
Per opaca syluularum,
Leuißimiq; bombi
Dulces fauos creantûm,
Vt ambulando feßis
Blandimini, breuemq;
Hortamini iacentes
Suauemq; inire somnum?
Infantuli sed huius
Mellituli cachinni
Lasso mihi laborum
Exercitoq; curis
Suadent peragere dudum
Mellitulum soporem.

IV. Idem.

HA ha sonat puellus
Resolutus in cachinnum.
Cum fratre lusit antem
Felem intuens pusillum.
Ha ha suo puello
Resonat pudica mater.
Vtrumque diligentes,

Vtrisque seruientes
Ha ha angeliq; reddunt.
Quis audiens queat se
Quis continere tandem,
Vt non amanter ipse
Suum quoque hisce iungat
Tam blandulis, & omni
Plenißimis lepore
Cachinnulis cachinnum?

V. Idem.

SVa auribus voluptas,
Sua & oculis voluptas.
Nil lumine hoc diei
Iucundius videtur.
Oratione dulci,
Cum suauitate multa
Hominum fruuntur aures.
Puellulum sed istum
Quisquis semel videbit,
Ne cæcus esse pugnet,
Nil pulchrius videbit.
Puelluli sed huius
Amabiles cachinni
Tetigere cuius aures,
Ne surdus esse nolit:
Quia dulce nil perinde,
Senior sit & Sibylla
Descenderit per aures.

BLANDITIÆ.

I. Materna inuitatio.

CHaros tibi puer mi
Sinus renudo mater.
Sinceriore lacte,
Tibimet quod indidisti,
Altriculæ tumentes
Suum vt vocant alumnum?
Tuam venito ad escam,
Tibi vacabo tota,
In te measq; totas
Exhauriam mamillas.

II. MATER, ANGELI, IOSEPH.

M. Iosephe mi Iosephe,
Custos mei pudoris,
Fac Iesulo meo, quæ
Te candidè rogabo.
Lecticulam pusillam,
Antica de cupresso,
Postica de cupresso,
Sint cedrina atque fulcra.
Sint buxeæq; spondæ,

Olea-

Oleaginæ tabellæ.
Dein mensulam breuemq́;.
Cum humillimo scamillo,
De rariore ligno,
A. Buxum, cedrum, cupressum,
Oleamq́;, & omne ligni
Genus elegantioris
Nos afferemus ad te.
Tu postulata matris,
Tam iusta postulata
Sollerter exequare.
I. Pueri ego Virginisquè
Me glorior ministrum,
Mihi est vterque cordi.
Huic seruiamq́; & illi,
Amansq́; nec teporem,
Nec sentiam laborem.
Ars nostra quod valebit
Vtrique militabit.

III. Filiæ Sion.

O Fons puer leporum,
Amor, salus, venustas,
O dulcitudo nostra,
Festiuitas, honorq́;,
O turturille noster:
Te quando contuemur,
Mentis silent tumultus,

Quiesq; , gaudiumq;
Intus repente constat.
Identidem videre,
Audire identidem te
Iam lacrymis madentem,
Iam risibus fluentem,
Iam quippiam lalantem,
Prô qualis est voluptas?

IV. Mater ad lusciniolam.

PHilomena dulcis ales,
Variare docta cantus,
Quin aduolas, meamq;
Vicem canis puello,
Donec sopore victi
Se clauserint ocelli?
Quid te per arboreta,
Nemorumq; per recessus
Truncisq; , cautibusq; ,
Et auribus ferarum
Lepidum sonare carmen
Delectat, ô aëdon?
Si garrias apud nos,
Ad astra te vehemus.
Nam quæ tuas sorores
Pridem canendo vincis,
Iam te canendo vinces.
Ades sonora cantrix,
Ades auium magistra.

V. Ad Angelos Poëta.

ALata turba curre,
Lætißimosq; florum,
Suauißimosq; florum
Lege hortulis apricis.
Lege violas, rosasq; ,
Lege lilium, ligustrum,
Vaciniumq; molle,
Quibusq; nomen olim
Pueri dedere bini.
Hos spectet, hosce tractet
Puerulus iste noster.
Spectabit hos libenter,
Tractabit hos libenter,
Diffundet ora risu.
Eduxit ipse flores,
Depinxit ipse flores,
Et ipse flosculorum
Est iure flos habendus.

VI. Angeli ad puerum.

NE sic puelle, ne sic
Corrumpe lacrymando
Nitidißimos ocellos.
Iam turgidi rubescunt,
Minus minusq; fulgent.
O parce parce fletu.
Ductamus en choream,

Hymnosq; personamus.
Ne fletibus misellis,
Vagitibusq; mœstis
Conuulnera parentem.
Ne sic puelle, ne sic
Corrumpe lacrymando
Nitidißimos ocellos.

VII. MATER, FILIÆ SION.

M. *Sororculæ pudicæ,*
Sanctißimæ puellæ,
Tam sæpe quî potestis
Triuisse limen istuc?
Quid vos iuuat frequenter
Visisse me, meoq;
Cum pusione ludus?
F. *Regina nostra noli*
Quid hoc siet rogare.
Augustiore forma es,
Quàm sermo consequatur.
Tua verba gaudiorum
Et plena gratiarum.
Tibi aureiq; mores,
Castißimiquè mores.
Tuum genus sed ipsum
Pupillulis, capillis,
Labellulis, genisq;,
Corpusculoquè toto,

Tot

Tot nos petit ſagittis
Tenerrimorum amorum,
Quot noctibus proteruis
Sparſos videmus ignes
Sublimiore mundo.

VIII. Ad catellum Poëta.

CAtelle quid catelle,
Quid te latrare cogit
Totiesq́; , tamq́; acutè?
Domini tui quietem
Turbare nil vereris?
Male ô catelle, quidnam
Mutabilem te in horas
Facit? modo aßilis, &
Agitando caudam, & aures,
Blandire puſioni.
Dein' cunulas petiſcis,
Iuxtaq́; delicatos
Peduſculos recumbis:
Repente deuolansq́;
Herum excitas latrando.
Catelle dictum habeto:
Infantulo vidente,
Quantum voles latrato,
Caue territes ſoporum.
Si iuſſa noſtra franges,
Non ſic tibi hoc abibit,

Malum dabo profectò,
Plorabis ô catelle.

XI. De balneolo pueri.

MATER, ANGELI.

M. *Volatiles ministri,*
Germanuli potentes,
Nunquid meo puello
Regale balneumq́;,
Lauatiunculamq́;,
Idoneam parastis?
A. *Regale balneum nos,*
Lauatiunculamq́;
Lectißimarum aquarum,
Lectißimorum odorum
Tuo, colenda mater,
Parauimus puello.
Aquamq́; cinnamomi,
Simul & aquam cupreßi.
Et balsamo liquatam,
Rosis & eliquatam.
M. *Iam vasculum expedite,*
In quo sacrum lauemus
Infantulum. Subinde
Infunditote quantum
Fundatis vt iubebo.
A. *Smaragdinum ecce labrum,*

In hoc

In hoc lauare talem
Tantumq; ius puellum:
Quo pulchrior nec alter,
Quo sanctior nec alter,
Quo augustior nec alter,

COMMISERATIONES.

I. Ob egestatem, & incommoda nascentis.

PRô quænam similis sit huic egestas?
Per se rerum opifex, & imperator
In suam venit ecce ciuitatem,
Suo nutu, hominesq; propter ipsos.
Ast non hospitium inuenitur illi.
Immundo stabulo editur, iacetq;
In fœno, laceris & inuolutus
Heu heu panniculis meus Redemptor.
Prô quænam similis sit huic egestas?
Vrunt frigora delicatiorem
Dum desæuit hyems, niues Iouemq;
Deducunt, ratibus priusq; secti,
Iam plaustris grauibus teruntur amnes.
Cuius sunt opulentiæ, hic inops est.
Prô quænam similis sit huic egestas.

II. Ob Circumcisionem.

POstquam luciferum rubente curru
Octauum Oceano reduxit alma
Aurora, advenit, vt solet, sacerdos,
Testa pelliculam secat recentem
Tibi paruule cum dolore sæuo,
Abrami veteris notamq; inurit.
Expers criminibus quibusque, nostra
Sic ad crimina funditas cruorem
Diluenda tenerrimo sub æuo.
Quibus questibus, ô puer miselle,
Quibus lacrymulis acerbitatem
Testabare tui doloris? ipsa
Matris viscera flendo diuidebas.
Tende brachia, tende, acerbà flentem,
Cruentum recipe, ô puella mater,
Dolore immodico leuare tenta.
Amplexare, süauiare, ride,
Demulce, apprime pectori, sinuquè
Exertam insere protinus papillam.
Nectar nam solitum sibi trahentem
Mox obliuia vulneris sequentur.

III. Ob fugam in Ægyptum.

IVdæa puerum exigit Tyrannus,
Dum dolos meditatur immerenti,
Vitam extinguere machinans nouellam,
Iniustum & stabilire principatum.

Arua

Arua dulcia, patriæquè fines
Linquens pellitur exteras in oras,
Qui cunctis dominatur vnus oris:
Portaturq; viam asperam atque longam,
Ignotam penitus, rigente cælo,
Gentem ad sacrilegamquè, barbaramquè,
Ad septemgeminiq; rura Nili.
Ah sub arbore, bestias & inter
Terni sæpius exules cubabant,
Quando tecta subire non dabatur.
Caput sidereum efferente nocte.
Quid, putas, iuueni, quid ô futurum est,
Si tantum tolerare debet infans?

IV. Ob varios in vita labores.

AVguste ô puer, ô colende partus,
Vt tui miseratione tangor?
Ah non ad requiem, sed ad labores,
Non ad delicias, sed ad dolores,
Ad multos, variosq;, maximosq;
Natus diceris: ad sitim, famemq;,
Aestum, frigora, plurimamq; rerum
Quas vsus petit, heu necessitatem.
Lassatus quoties domum redibis?
Si tamen domus est tibi futura.
In multam vigilabis vsque noctem,
Perpaucos & amiculos habebis,
Hostes innumerabiles habebis:

Qui tibi insidiásque molientur,
Fictis criminibusq; qui lacessent.
Auguste ô puer, ô colende partus,
Vt tui miseratione tangor?

V. Ob indignitatem futuræ necis.

ARmatas, video, puer, cohortes,
Quæ te olim capientq;, vincientq;.
Lora, sputa, alapas, arundinemq;,
Clauos cum cruce, spongiamq;, felq;,
Albam, purpureamq; cum corona
E spinis, scelus ô scelus, refecta,
Tui tot monumenta despicatus,
Instrumenta tuæ nefanda mortis.
Tum probra audio, quæ proteruiores
Et sacri iacietis, & profani.
Pedes candiduli, manus pusillæ,
Pusillumq; latusculum, ergo quondam
Vos ferro penetrarier necesse est?
Artus lacteoli, flagrisné diris
Vos sic dilaniarier necesse est?
Ipsis ô caput angelis honorum,
Te ne sentibus esse vestiendum?
Te ne fustibus esse verberandum?

CAN-

CANTIVNCVLÆ AD SOMNVM INFANTVLO conciliandum.

I.

Ægrarum bone mentium,
Fessorum bone corporum
Curator, venias age,
Veni blandule somne.
Ad cunabula Principis
Ne contendere differas.
Festinum moueas pedem,
Veni blandule somne.
Ipse en languidulis tibi
Ocellis puer innuit.
Pelle pelle moras, veni,
Veni blandule somne.
Veni ô somnicule, ô veni,
Tot preces caue despuas,
Quid cunctaris? abit dies,
Veni blandule somne.
Venisti bone somnule,
Alis virgineum tuis
Es complexus alumnulum,
Somne blandule somne.

II.

DOrmi sancte puellule,
Lassulum sopor alliget,
Absint tußiculæ procul,
Nil rumpat tibi somnos.
Nil rumpat tibi somnulos,
Neu latrando catellula,
Neu columbula murmure,
Neu pulsus strepitusue.
Dormi sancte puellule,
Quies lumina vinciat.
Iam domi, & foris omnia
Te propter requiescunt.
Auræ frigidulæ simul
Aspirant tibi leniter:
Altior veniet quies,
Et sudore carebis.

III.

CVr non optime somnule
Præstas officium tuum?
Cur te crebrius, obsecro,
Cogimur rogitare?
Tu gratißimus omnibus,
Tuo munere neminem
Fraudas: sed puerilibus
Es propensior annis.
Ergo huc accelera gradum:
Et si sunt pueri tibi

Tam chari, eximius puer
Sit chariſsimus iſte.
O ſomne, ô bone ſomnule,
Qui ponis lacrymis modum,
Ades tergere paruulo
Rores eia tepentes.

IV.

DVm nos dulcia promimus
Ad cunabula carmina,
Et clara vt citus aduolet
Somnum voce monemus,
Somnus impiger affuit,
Functus partibus & ſuis
Pupulas domino ſuo
Paruulo bene clauſit.
Iam per membra puſillula
Quietem liquidam ſopor
Irrigat. Viden' accipit
Suauem pectore noctem.
En vt ſpiritulum trahit,
En formoſulus vt iacet.
Qui ſemper vigilas Deus,
Dormi ſancte puelle.

MVNVSCVLA.

I. Indusiolum byssinum.

CORpusculo IESV tuo tam cereo,
Et mollicello, atq; tenero, quantũ potest
Esse aliquod, haud fas induisse tunicu-
Nunc intimã cõmuniore stamine. (lam
Membra siquidem pondere suo oneraret nimis,
Nimis fricaret, vsque dum rubescerent.
Quapropter è lectißima, tenuißima
Bysso dicamus hanc tibi subuculam.
Mater cape, & dono puerum operi meo.

II, Togula purpurea.

FVlgere Tyria in veste Regum est proprium,
Gemmis nitere, auroq́; , Regum est proprium.
Qui Regum es igitur cæterorum maximus,
Cui regna terrarum vniuersa seruiunt,
Parue ô puer, mundo vetustior ô Deus,
Istanc habeto à me tibi cum gemmulis,
Virgis laboratam aureisq́; purpuram.
Placetné munus? fatur id risus quidem.
Haud munus est ignobile: at quid non tua
Cum dignitate comparatum sordeat?

III. Cothur-

III. Cothurniculi aurei.

NVdo pede ambulare non fero, non sino
Diuum puerulum, plantulas offenderit,
Quacunque cera molliores plantulas.
Nec calceolus ex officina conuenit.
Qua gratia istos largior cothurnulos
Puero Deo, non sericos, sed aureos.
Volo gestet aurum, totus aurum, & aureus.

IV. Acanthis auicula.

CVra solutus omni
Dum syluulam pererro,
Et te tuamq; cantu
Deprædico parentem,
Auicula ista supra
Humerum meum resedit.
Quid paruula ô volucris.
Quid, aio, vis apud me?
Orditur illa. Tu me
Prehendito volentem,
Me munera puellum,
Quem nunc piè canebas.
Huic blandiar canendo,
Huic ad manus volabo,
Minutulasq; micas,
Potumq; & inde sumam,
Huic seruulamq; soli
Me propriam dicabo.

Dimit-

Dimittat ille quamuis
Me liberam, manebo.
Cape ergo mi puelle
Ancillulam canoram.
Flauo nigroq; cernis
Per plumulas nitentem
Acanthidem pusillam.

V. Lilium conuallium.

TV flosculusq; campi,
Tu liliumq; nobis
Conuallium vocaris.
Quare quod esse tute
Vis, atque nominari,
Reuerenter hoc tibi nos
Munusculum sacramus.

VI. Monile baccatum.

ORnatibus carere
Argenteis, & aureis,
Et gemmeis puelli
Eburneumque collum,
Pectusculumq; candens
Nefas mihi videtur.
Genetrix habe en monile
Auro, lapillulisq;
Impensius coruscum.
Lætus libensq; munus
Puero hocce dono, tu mox

Suspende

Suſpende geſtienti.
Quam pulcher & decorus,
Et ter quaterq; bellus
Euaſit hoc monili
Semper decorus infans?

VII. Corolla roſea.

DE floribus roſarum
Ego nexui corollam.
Venuſtulam corollam
Infantulo venuſto.
Hac verticem minutum
Ornabo: copiarum
Qui poßident aceruos,
Auro grauem coronam
Sapphireamq; donent.

VIII. Crepundia.

TRactatione gaudent
Pueri crepundiorum.
Tuum ergo lude ludum
Bellißime ô puelle;
Riſum tuumq; ride,
Bellißime ô puelle.
Te muneramur hiſce
Crepundijs, quibus tu
Potiora non habebis,
Bellißime ô puelle.

Maiestas & humilitas pueri IESV, pro colophone.

INfans homo, puer Deus, quàm suppetit
De te canendi magna materiæ seges,
Rerumq; aceruus multà dißidentium?
Fœcunditatem in matre virginitas, sed in
Te humanitatem illuminat diuinitas.
Et illæ, & istæ fœderantur mutuis
Nexibus, & alternis velut complexibus.
Haud talis olim mater in terris fuit,
Nec talis olim filius repertus est.
Tu, quod nouum est, stuporis & plenißimum,
Verus creator es creatricis tuæ.
Te nutrierunt vbera sacræ virginis:
Sacram sed ipse nutriebas virginem.
Egressus es, mansere claustra imperuia.
Tibi caula sordens præbuit palatium:
Stipula fuit pro lectulo mollißimo,
Proq; famulis vnus senex, bos & asinus.
Mutus iacebas, tectus atque lineis
Modicisq; pannis, quem decebat purpura,
Vt imperatorem potentem inuoluere.
Namque id per auras agmina volitantium
Cantu lepidulo prodidere cælitûm:
Idemq; prodidit nouum ætheris iubar
Cum luce multa, solis ipsius æmulum.
Quo concitati se dederunt in viam
Reges Eoi, supplicesq; infantulum

Coluêre

FLORIDORVM LIBER SECVNDVS,

Qui & Primus DOLORVM.

I. Ἀδημονία IESV, & ægritudo inexplicabilis.

ANnis volutis præ foribus adest dies,
Dies cruenta, atro notanda calculo.
Venit dies ab neutiquam eluctabilis,
Portans dolores plurimos, sæuißimos,
Lethiq; formam ab omnium turpißimam.
Meo futura corpori præsentio
Mala multa, mala grauißima, indignißima.
Hinc mœror ingens, tristis ægrimonia,
Fluctusquê curarum obruunt pectus meum,
Vix vt sibi constet animus. Non cernitis
Vt in ora pallor veniat, artus refugiant?
Vt fracta vox, & innuens humo caput?

Nonne

Nonne gemitus auditis? an quid mœstius
Fando vnquam ad aures accidiſſe creditis?
Nihil nihil: durare vix, heu vix queo
Ad funera mea, funera immaniſsima.
Mors ſemetipſa tendit anteuertere.
O dulcis Amor, itané horror, itané flebilis
Te fodicat ægritudo? ſic te luridum,
Tremulumq; reddit ſola cogitatio?
Qui nunc es ita miſerabilis, quid cras eris,
Cum vulnus vnum, cum tumor, liuor, cruor,
Cum nec homo eris, ſed vermis abiectiſsimus?
Et ecce adeſt nemo penitus, qui verbulo
Te recreet, tuamq; participet vicem,
Quem vel parum rei moueat indignitas.
De fonte cuius quæque manant gaudia,
Qui factus es mortalium triſtiſsimus?

II. Ieſus ter ſupplex, & ſudans ſanguinem.

ÆTerne genitor, ergo ſic natum tuum
Ad vltimas heu miſerias vis deprimi?
Quid ille quid patrauit vnquam noxiæ?
Aut quid dolens hunc caſibus tot obijcis?
Noſtra omnis eſt fraus, noſtra ſunt piacula
Siccine luet herus acta nequam ſeruuli?
Vt ſit nocenti bene, peribit innocens?
Moreretur vna morte, cur tot mortibus
Ponet animam Ieſus ſibi chariſsimam?

Iſtuc

Istuc videbis, alme pater, & perferes?
Orat semel, iterum orat, orat tertium,
Tuas nec aures tangit obtestatio.
Heu quam tuus secum laborat filius?
Vt velle nolle dimicant acerrimè?
Venite populi, & rem propius attendite,
Haurite plenum luctibus spectaculum,
Haud vspiam visum antea spectaculum.
Affusus èn humo iacet humi conditor,
Rectorque mundi, angoribus circumfluens.
Sudor cruentus omne corpus irrigat,
Solumq; riuis viride circum purpurat.
Certamen hem sibi reluctantis animi,
Incomprehensam ô cordis ægritudinem.
Nondum flagellis sectus est crudelibus,
Necdum rubi pressere sanctum verticem,
Necdum manus, necdum pedes, necdum latus
Ferro satelles perforauit impio,
Et sanguinis torrens per artus labitur.
Decora membra, delicata brachia,
Niueæ manus, sole facies serenior,
Aspectus immortalibus gratissime,
Cuius temeritas tantopere vos polluit?
Deformitatem istam quis inuexit tibi,
Formosius quo apud homines nihil fuit.
Nec est futurum sæculis sequentibus?
Quis? vestra scelera, vestra me sic inquinant.
Passurus ob quæ, quanta, dum considero,

Mercede

Mercede quam nulla, ob animos memores parum,
Genus oritur sudoris hoc mirabile,
Angorq; solus me propemodum interficit.
Eia aduolate cælites perniciter,
Dominoq; vestro abstergitote sanguinem,
Membrisq; robur reddidote pristinum,
Mœstumq; dictis alleuate dulcibus.
Miserande IESV, humum en cruentam exosculor
Iterum iterum, quantumq; mihi conceditur,
De humore sacro quod recondam, colligo.

III. Contumeliæ in captum.

QVò quò molossi, quo leones pergitis?
Lupi rapaces bestiæ, quò curritis
Adeò inhiantes ad vorandum faucibus?
Canes pauidulam conspicati damulam,
Agnum lupi, tenerum leones hinnulum,
Prædam viden' vt insanientes inuolant?
Raptantq;, truduntq;, & trahunt, & retrahunt.
Pugnos hic ingerit, ille calcibus furit.
Mentum, capillum vellicant, & fustibus
Per terga ludunt effera licentia.
Prô facinora mala, prô scelera teterrima.
O summe rex tune vt feras tantum probri?
Affligeris solo, manus constringeris,
Vinctus catenis, fune vinctus duceris,
Clamore, strepituq;, fremituq; dissono,
Sannis, cachinnis, mille contumeliis,

Concur-

Concurritur, fugantq; noctem lampades.
Quem nulla possunt continere vincula,
Qui claustra perrumpere potis es aënea,
Cur hisce te non vis catenis soluere?
O qui paludem colitis ad Mæotidem,
Trucesq; Daci, frigidiq; Sarmatæ,
A lacrymis hæc fando temperabitis?

IV. Discipuli desertores.

QVò via palantes ducit vos inuia tandem?
Eia magister vbi est? dicite discipuli.
Ah, furiata cohors manibus post terga ligatum
Ante superborum Pontificum ora trahit,
Vidimus iniectas colloq; vlnisq; catenas,
Affectum exemplis vidimus horriferis.
Et timor imbellis pœnas fatumq; luendi
Indecorem suasit cotripuisse fugam.
Sic nos ingratis, IESV, diuellimur abs te,
Vnicus heu sontes nos facit esse timor.
O cur non potius media inter tela sequentes
Promissum audenter soluimus officium?
Quò nunc se vertat miles ductore, magistro
Quò sine discipulus, quò sine patre puer?
Cui tradis? cui nos commendatosq; relinquis?
Si tecum non est viuere, nec sine te.
Dux bone, præceptor venerande, parensq; benigne,
Quàm nos perfidiæ, quàm pudet atque fugæ?
Te laniant rabidiq; canes, rapidiq; leones,
Et nobis bona spes quæ superare queat?

O domine, ô pater, ô dux, ô ter sancte magister,
Fabula nos hominum, ludibriumq; sumus.

V. Dolor maternus.

VT nuncios accipio funestißimos
De filio meo, qui habetur peßimè?
Diuenditus, captus, reuinctus, omnibus
Probris onustus. Ah palàm vt latro nobilis,
Spectante populo, & gratulante ducitur
Mediam per vrbem iudices ad impios,
Pœnas daturus scilicet cum sanguine.
O nate mi, mi nate, gaudium meum,
Mea suauitas, amœnitas, ô cor meum,
Rapiere mihi? ego num tua de cætero
Orbanda sum dulcißima præsentia?
Quem filium legam mihi, si filium
Te perdidero? mea soboles, crimen tuum
Quod nam? quid in te quæso tam graue reperit
Iudæa? cur iugulare vult indebitum?
O immemor beneficiorum, ô tetra gens,
Quis hasce docuit te referre gratias?

VI. Pontificum immanitates.

NOn tale Atridas occupauit gaudium,
Cum prociderunt mœnia vrbis Dardanæ,
Et finem adeptus est decem annorum labor,
Annas vti Cayphasq; sceleratißimi
Pontificum IESV comprehenso, altißimis

Magnum

Magnum medullis imbiberunt gaudium.
Inexplicabilis tua est patientia
Saluator hominum. Quin iubes dehiscere
Tellurem, & impuros ad Erebum mergere?
Astante turba, seruulis nequissimus,
Nescire quæ non poterat, hæc interrogat
Insignis omni diritate Pontifex.
Respondet Agnus veritas quod postulat.
Sed veritas mendacibus odiosa res.
Redditur alapa verum fatenti præmium,
Crepuere malæ, sanguis iuit naribus.
O execrandam militis proteruiam,
O Pontificis immanitatem barbaram,
Facinus cachinno dissolutus approbat.
Hominumq́; , superûmque sator ecquid aspicis?
Natum potes siccine tuum relinquere?
Comitemur Agnum. Ecce vt furentes pertrahunt
Ad Caypham, ibi fient nouæ tragœdiæ,
Dabiturq́; larga occasio ploratibus.
Eò senatus nempe conuocabitur,
Senatus vrsorum, leonum, tigrium,
Etsi quid his extare nosti sæuius.
Minantur vt oculis, fremuntq́; dentibus?
Hui belluæ, prædam tenetis vnguibus,
Escam date, cupidis date escam ventribus.
Sed peierare opus est prius, furere opus est
Vel singulos, petereq́; morti innoxium.
Satis hoc: sed heu crudelitati nil satis.

Colaphis tuber faciunt caput totum, operiunt
Corpus trecentis ictibus: nec sustinent
Videre lumina longè amabilißima.
Illa obtegunt, faciemq; reddunt liuidam
Iteratione verberum, & fœdißimè
Sputa aggerentes perditi contaminant.
Nondum quies, etiam comas furiosius
Heu vellicant, risibus & effusißimis
Sannis, iocis, scommatibus, & clamoribus
Petulantia cum summa, & impudentia
Laxant habenas tenebriones improbi.
Quid hîc loquar? quibus ista deplangam modis?
Chiliades almæ militum cælestium
Vestro imperatori, precor, succurrite:
Tauri feroces quem lacessunt cornibus,
Canes atroces quem petessunt morsibus.
Et vos tamen nil tanta calamitas mouet.
Succurritis? succurritote tempori:
Nam nulla finis, parua nec cessatio
Speranda, si nunc ferre opem tardabitis.

VII. Petri lacrymatio.

CAelo meos, terræquè casus conquerar?
Non amplius cælum audeo intuerier,
Indignus ipsa terra quem portauerit.
Nullus hominum perditior hoc est, aut fuit.
Egóne miser prolapsus huc insaniæ?
Demens quid egi? me in fugam cur non dedi?

Semper duobus è malis minus eligas.
Cur me pede meo mensus haud sum? cùr meum
Ignoro modulum? Polliceor audaciter
Magistro in omne periculum comitem fore,
Et fœminæ verbo tremiscens, ter nego
Me nosse, quasi sit erubescendus mihi,
Qui tantopere me amauit, atque gloria
Tanta extulit præ cæteris Apostolis.
Prænuntiata sunt mihi hæc, non credi
O mi magister, quam tibi ingratus fui?
Ego perfidissimus, ego periurissimus
Ter te negaui, quem fateri millies
Debebam vtique. Cur te meum lumen, meum
Grande columen, meam salutem, ipsam quoque
Vitam meam sic perdidi turpissimè?
Iam muto factum: ah pœnitet, meum scelus
Me discruciat, & lacrymarum in flumina
Totus abeo. Miserere Iesu supplicis,
Quærentis & sceleri patronum neminem.
Reduc ab imis tartari me faucibus,
Quò me timiditas egit ignauissima.
Summa bonitas, clementia, misericordia,
Mihi misero, & plus omnibus miserabili.
Cui corda miris æstuant doloribus,
Veniam tribue, facinus meum obliuiscere.
Ignosce Iesu, ignosce peccatoribus.

VIII. Acta apud Pilatum, & Herodem.

IAm sol micantibus oculis album æthera
Lustrabàt, astris præsidi cedentibus.
Coitur iterum de capite IESV mei.
O noster Amor, ô Agne mansuetissime
Prodi vocatus squalido de carcere,
In quo tibi peracta nox miserrimè.
Incedit en heu membra fessus omnia,
Minimumq; distans mortuis. Namq; vehemens,
Perq; ossa sese diuidens acerbitas
Tot verberum, gratam quietem inuiderat,
Nec paululùm videre somnum siuerat
Tumultuando excubitor immitissimus.
Quid vultis ergo Præsules hem sacrilegi,
Quid innocenti facere vultis denuo?
Impostor hic est offerendus Iudici
Examinandus, iudicandus, vltimo
Mactandus & supplicio. Iniquitas mera hæc,
Scelus, flagitium, horribile parricidium.
Magnam per vrbem ductitant ouem lupi:
Immò rapiunt, spectantium plena omnia.
Spectate vos quoque, & pios date gemitus,
Quicunque Iesu amore sauciamini.
Amat ille, ob hoc indigna tolerat omnia.
Teneras coërcent rigida palmas vincula,
Stillantia polo tendit ecce lumina.

Suiq;

Suiq; pacem tacitus orat hostibus.
Prætor cauebis criminantes audias.
Vt multa mentiuntur? vt nihil probant?
Et interim poscunt neci Iesum meum,
Astra ferientes malesonis boatibus.
Sed res bene habet, odium vides, & inania
Verba rationum: ad regem abire cum reo
Rectà iubes. Ite ite, rursum crimina
Vehenda palustris deintegro componite.
In regia Agnus quid facit? rursum tacet.
Ludos ibi iocos ibi, blasphemias,
Irrisiones, falsa dicta pertulit.
Abiectius, contemptius, odiosius
Nil est repertum: fatuitas visa fatuis,
Quæ summa summi patris est sapientia.

IX. Afflictissima parens.

O Regina, quis hic amaror, ô quæ
Compleuit tibi mœstitudo pectus,
Pectus virgineumq;, & integellum?
Vt ibant tua lacrymæ per ora,
Cum gnatum in medio tot impiorum
Albo tegmine more morionum
Tectum ad limina Præsidis reduci,
Despectum simul omnibus videres?
O quis non doleat tuum dolorem?
Heu felix aliquando mater, heu nunc
Infelicior omnium per orbem,

Queîs hoc dona vteri dedere nomen.
O quantum est hominum dolentiorum,
Quid te flebilius, dolentiusue?
O quis non doleat tuum dolorem?

X. IESVS infra latronem æstimatus.

TV plebecula, Pontifex, Sacerdos,
Tu Scriba, & Pharisæe dicitote,
An nondum satis est calumniarum?
Nondum vos satis improbos putatis?
O factum malè, luce digniorem
Latronem statuistis innocente.
Nuper monstrificusq́; , & ebriosus,
Planus, seduıosus, & sodalis
Scelestorum, auidusq́; principatus,
Terræ filius, vnius nec aßis,
Quin & sacrilegusq́; , & immodestus,
Legirupa, piaculumq́; magnum,
Impuro cacodæmone occupatus.
Præter hæc fatuus: modò at latrone est
Detestabilior. Sed ecce Præses
Haud dignum nece comperit, laborat
Vt pœna immeritum eximat: sed ipsum
Vosmet carnificem, ferum tyrannum
Esse cogitis, execranda turba.
Prô quàm fellea, virulenta corda?
Nil vobis pote peius inueniri.

Non

Non si dixero adulteros, latrones,
Fures, sacrilegosq; , perfidosq;.
Non si dixero principes scelestûm.
Non si dixero dæmonumq; vulgus.

XI. Vociferationes vulgi.

CLamoris hîc quid nascitur quæso noui?
Furiosa quænam est ista vociferatio
Iuuenum, senumq; , & vniuersorum simul?
Crucifige, crucifige impium, crucifige eum.
Quem igitur? an illum, cui obuiam nuperrime
Processit omnis ciuitas? frigentibus
Qui vitam, & orbis lumine diem reddidit?
Famelicûm qui vidit escam millibus,
Morbosq; nulli depulit medicabiles?
Qui corporibus atros fugauit spiritus,
Et multa tulit, & multa fecit, alsit, &
Sudauit, vt vobis salutem conderet?
Stipendia istiusmodi numerabitis?
Benefacta tot num per crucem pensabitis?
Vos ille potius mandet ingratissimos,
O viperarum, & parricidarum genus,
Sceleratiores scelere, & inimicos Dei
Tam contumaces hinc rapi ad sæuas cruces.
Ah IESV, vt ista vox tuum cor discidit?
Vt vulnerauit quotquot aderant de tuis?
Sed enim procul nimis recesserant tui.
Astas placidus, astas quietus, & silens,
Deglutiendus belluis frementibus.

XII. Difflagellatio.

LVsit adhuc Iudæa furens, Iesumqúe remulsit,
Nunc nunc excipient seria blanditias.
Sic alius tecum, si istuc est ludere, ludat,
Et decuplum regerat in caput, oro, tuum.
Exspectata venit fundendi sanguinis hora.
Composita aduentat nex tibi dulcis Amor.
Cui vestes strauêre suas, te veste renudant:
Heu mihi, purpureus tingit vt ora color?
Qui plumis volucres operis, animantia villis,
Herbida qui nitidis floribus arua tegis,
Scurrarum ante oculos, nebulones ante cruentos
Exueris, flagris te laniare parant.
Aedibus in medijs astanti fortè columnæ
Adstrictum incipiunt cædere carnifices.
Inqúe vicem cædunt, mutant virgasqúe manusqúe,
Pars expers toto corpore nulla manet.
Purpureos paßim video descendere riuos,
Prô iam vix hominis os habitumqúe gerit,
O quantos tenero creat hæc laniena dolores,
Candida quàm crebro stigmate pellis hiat?
Isténe, magne Pater, lapsa quem voce per auras
Testatus dilectum vnigenam esse tuum?
Nec seruus, nec fur, scelerumué affinis IESVS
En luit vt seruus, fur, capitalis homo.
Tu qui cunctorum misereris, & omnia donas
Omnibus, ah gnati iam miserere tui.

Tortores prohibe meditatum explere furorem,
 Vulnera néue finas addere vulneribus.
Me rapite, in me vnum quascunq; expromite pœnas,
 Ista flagella mihi debita, morsqúe mihi.
Me quatitote flagris, fontemqúe haurite cruorem,
 Nolite ô Dominum sic lacerare meum.

XIII. Coronatio.

Ægresco, sese dolor ossibus implicat ardens,
 Vox fugit, & tepidæ mî cadit imber aquæ.
Ah vertex, superis quo non illustrior alter,
 Téne ita compungi fasqúe piumqúe fuit?
Heu heu coccineam chlamydem circũdatur, heu heu
 Ter sanctum spinis induiturqúe caput.
Pro sceptro inseritur regali vilis arundo,
 Crebrescunt alapæ. Qualia dona ferunt?
Per ludumqúe colunt, irridentesqúe salutant.
 Consputant faciem, percutiuntq; caput.
Atque adigunt cerebro sentes, lauat inde capillos,
 Temporaq;, & vultum, & lactea colla cruor.
Ergóne quæ Siculis sunt quondam inuenta tyrãnis,
 Vt Iesum crucient commoda visa parum?
Immane exemplum pœnis crudelibus addunt:
 Quid non inceptas irrequiete furor?
Quæso, parúmne fuit, quod res tot passus acerbas,
 Spretus & indignis, insolitisq; modis?
Quod flagris roseæ manarunt artubus vndæ?
 Quod lacer, & rebus vilior omnigenis?

Quid grauius morte est? hunc tetræ opponite morti.
Tollite tormenta, tollite ludibria.

XIV. Ecce homo.

ASpicite ciues qualis hic prodit foras,
Quibus doloribus, quibus & opprobrijs,
Quàm denique horribilibus acceptus modis.
Videte, tantillumq; rogo miserescite.
Ne postulate sanguinem insontißimum,
Plus quam satis soluit, aliquid si debuit.
Homini homines humanitatem tribuite.
Hucusque inaudita feritas processerit.
IESVS homo est, fraterq; vester, haud cauis.
Ne sæuiatis vlterius, agnoscite
Vt purulenta, tumida, liuida facies,
Vt corpus ipsum nil nisi mera vulnera.
Quàm despicanda regis hæc auctoritas
Spinis coronati, tenentisqúe baculum
Pro sceptro, & attritam gerentis purpuram?
Miseremini, neu Barrabam ter improbum
Existimate præferendum huic optimo.
Petitionem abijcite crudelißimam.

XV. Mariæ fletus.

FRena iam lacrymis dabo, & dolori.
Tuum sancte senex per ima cordis
Sentisco gladium, altiusq; porrò
Sentiscam, quia multitudo cæptis

Nun-

Nunquam desinet, vsque dum innocentem
Hunc meum vnigenam, meamquéue vitam
Cruci affixerit. Ah vt ista forma
Vel saxis quoque luctuosa forma est?
O qualis dolor ardet in medullis?
Heu quî nam mea lux, meumquéue sidus,
Meus sol tenebris opertus astas?
Fræna iam lacrymis dabo, & dolori.

XVI. In Iudæorum diritatem.

DEuincta ferro dura stant præcordia,
Mentes atroces nesciunt mansuescere,
Leas, & vrsos facilius leniueris.
Non flectit illos hominis innocentia,
Neque species quàm maximè lacrymabilis.
Scribit in aqua Pilatus, & ventos colit:
Non extimescunt vindicem iram numinis:
Se deuouent, nondumq́; natos liberos:
Tumultuantes clamitant horribiliter:
Tolle, crucifige, tolle, crucifige impium.
Maligna pectora, & futuri improuida,
Quid ipsa vos, quid itis oro perditum?
Aderit dies, qua vos ad Acherontis loca
Detrudet is, delere quem nunc poscitis.
Vt facta frustra infecta tunc optabitis?

XVII. IESVS condemnatus, & sibimet crucem baiulans.

QVid nefastius hoc iniquiusúe
Vsquam iudicio sit inuenire?
Innocentia iudicatur ipsa,
Morti dedecorum refertiori,
Vita, ô crimina, vita destinatur.
Lupus soluitur, attinetur agnus:
Latro illæsus abit, vicem latronis
Implet, ô Deus, ipsa sanctitudo.
Quid nefastius hoc iniquiusúe
Vsquam iudicio sit inuenire?
Quis non interioribus medullis
Prætorem oderit. Impiate iudex,
Non manus modò, sed vel omne corpus
Et laua, & relaua: scelus patrasti,
Quod nec Thetyos eluatur vnda.
Quid nefastius hoc, iniquiusúe
Vsquam iudicio sit inuenire?
Saluatori igitur sua heu sibi crux
Prælonga, & grauis additur necando,
Per vicos, per iterq; baiulanda.
Vt ingens humeros onus premebat?
Prô quàm debile, perditumq; corpus,
Plagis innumeris & exaratum,
Et crebris tumidum ictibus grauabat?

Vt

Vt sub pondere sæpius cadebat?
Lictores nihilo minus trahebant,
Pellebant, ioca salsa & euomebant.
Senes tardigradi, nurus, puellæ,
Et viri, & pueri, omnis ordo, sexus
Pascebant oculos, nec indolebant.
Mentes quin etiam maligniores
Peruadebat amœnior voluptas.
Magnam, mirificam, atque inexplicandam,
Flammantem, insolitamq; charitatem
Quotquot terrigenæ vsque & vsque vestris
Sculptam ferte animis, & huic vicißim
Quantamcunque referte charitatem.
Namque amor generare vult amorem.

XVIII. S. Veronica cum sudario.

L. *Intea quæ nobis diuina Veronica monstras?*
Lintea vel prima candidiora niue.
V. *Hæc ego saluifico præbens sudaria IESV,*
In cruce pro populo dum moriturus abit,
Eximia cum dote exultabunda recepi,
Impreßit faciem, cernis vt ipse, suam.
P. *Illius ergo tenes præclarum pignus amoris.*
Quam felix tua sors, quam cupienda fuit?
V. *Et teneo, & donec viuam studiosa tenebo*
Dulcia amatoris hæc monumenta mei.
Non oculos chara poßum saturare figura.
Oscula cum dederim millia, mille dabo.

Pone mihi gemmas, gazam promitte superbam,
Effigiem domini vendere nolo mei.
Hæ mihi sunt gazæ, sunt hæc mea regna, meæ vrbes,
Hîc Iesum intueor quam volo sæpe meum.
Hunc multum aspectans nequeo satiare meum cor.
Oscula mille dedi, oscula mille dabo.

XIX. Mater filium prosequens.

BEnedicta mater vnicum sequitur suum
Mœrore multo, vberrimisq; lacrymis.
Hærent lateribus fœminæ cupidissimæ
Natiqúe, matrisqúe, & pia illa Magdalis.
Solantur ægram animi, nec ipsæ fletibus,
Altisqúe se abstinere gemitibus queunt.
Quas tum loquelas te dedisse prædicem?
Vt miseriter profata es, & lugubriter?
Audire partem fac tuos clientulos.
Præ lacrymis, mœstisq; præ singultibus.
Haud verba multa prolocutam credite.
Nihil intuita sum acerbius, crudelius.
Defecta viribus, ambulabam passibus
Minimè citatis, & viam quàm longa erat
Calentibus signabam aquis: nulla mulier
Viuebat in terris perinde miserijs
Cumulata, & ærumnis, & infortunijs.
Sub onere concidebat iniusto meus,
Et hoc videbam, nec leuare fas mihi.
Stimulis fodi ceu bestiam genus meum

Coram

Coram videbam, nec prohibuiſſe poteram.
Verbo volebam colloqui, & detergere
Sudore miſtum lacrymiſque ſanguinem:
Sed adire propius haud ſinebant milites.
Ego ipſamet quàm læta geſtaſſem crucem?
Vt pro meo dulciſsimo obijſſem lubens?
Ter ſancta mater, ſic vtique te oportuit.
Nam quæ anima IESVM amauit ardentiſsimè,
Per fas eundem doluit impenſiſsimè.

XX. Fellea potio.

TAndem nos locus accipit nefandus.
Quare carnifices, vt aſſolet, nunc
Mellitam, ſapidamque potionem,
Quod poteſt fieri, euge prouidete
Exhauſto nimis, & deariuato,
Totum corpus & affatim dolenti,
Sitim nec modicamq́; ſuſtinenti.
At vos carnifices amarulenti,
Amaro quoque felle amariores,
Ne vel particula vna fiat exlex,
Cum magnis minimæq́; torqueantur,
Linguam lædere quà licet ſtudetis,
Dantes pocula temperata felle.
O corda indomita, ô amarulenta,
Amaro quoque felle amariora.

XXI. Cru-

XXI. Crucifixio.

Non est cruci pœna vlla comparabilis;
Tormenta crux post se relinquit omnia.
Adeste gentes quas videt nascens dies,
Quasq; pelago se conditurus aspicit.
Venite adoremus cruci affixum Deum.
Ploremus ante Dominum, & vsque pectora
Feriamus. Heu nostra hîc salus suspenditur.
Pro perditißimis, & improbißimis
Dirè necatur omnium insontißimus.
Stat membra nudus, & tremit præ algoribus.
O lacrymosum & cautibus spectaculum
Ita lacerati corporis crudeliter.
Ecce vt terebratam trabem iacitur super,
Nullo coactu porrigit duplices manus,
Pedes & ambos arbori dat figere.
Quid non dolorum ictus habebant singuli,
Ferrum vbi retusum, & crasso adactum malleo,
Oßicula, venulasq; & ipsos neruulos
Cruciatibus vexabat incredibilibus?
Tensumq; corpus acriter, ceu tympanum,
Nunquid dolores non ferebat maximos?
Ebulliunt, videte, fontes sanguinum,
Tellus rubescit strata ceu sit purpura.
Veneranda mater, istané oculis, auribus
Tolerare quibas? exanimis heu quomodo
Non corruisti? ah ipsamet viscera tibi

Rupere

Rupere claui, & superior verbis dolor
Carpebat, vrebatq; tua præcordia.
Sublimè crux tollitur, humiq; pangitur,
Vndæ rubentes defluunt benignius,
Luxantur omnia membra sedibus suis.
Non est cruci pœna vlla comparabilis;
Tormenta crux post se relinquit omnia.

XXII. Querimonia IESV pendentis.

O *Quicunque iter hoc secatis, ô vos*
Qui viam hanc pedibus perambulatis,
Omnis ordinis, vtriusque sexus,
Quicunque est homo natus, hîc parumper
Gressum sistere, quæso, ne recuset.
Hîc pendens lacerum inspice eia corpus,
Ossa ab oßibus, alterum alteroq;
Distracta ab nimis intuere membra.
Deorsum, ceu graue, nititurq; corpus,
Et mî vulnera longè acerbiora
Facit, tertia iamq; currit hora,
Ex quo sic maneo inter hos latrones
Dierectus, vt optimus latronum.
Meo sanguine defluente circum
Humus pingitur, & caput grauatum
Serto vulnifico reclinem vbi nam,
Nil est: ariditas meaq; fauces
Obsidet nimis: ipse, quod videtis,
Nil sum nil, nisi stigma, liuor, horror,

Tabes,

Tabes, & macies, & ægritudo,
Lamentum, tumor, atque amaritudo,
Iudææ monumentum atrocitatis.
Ah ah, aſpicite, arbitraminiq;,
Num ſit, num fuerit dolor repertus,
Qui ſe poſtulet huic parem dolori.
Cur me deſeris ô parens Deusq;?
Iam ſum vermiculus, iocusq; vulgi,
Sum riſus miſer, infimæq; plebis
Turpis fabula. Luſtro cuncta circum,
Heu nullum licet inuenire, nullum
Quem paulùm dolor iſte noſter angat:
Qui pauxillum opis afferat, ſub iſtis
Malis, ô Deus, eſſe deſinenti.
Adhuc me catuli, canesque rodunt,
Et conuitia funditare pergunt.
Diſcerpunt modò vocibus, prius quem
Contriuere manu, measq; veſtes
Carnifex ſibi ſeminudus aufert.
Fellis pocula, poculumq; aceti
Accepi ſitiens, quies nec vlla.
Quin & mortuus appetar, meumq;
Ibit in latus haſta velitaris.

XXIII. Conditio Ieſu expirantis.

TRiſte diſcidium, diremptioq;
Immatura animæq; corporisq;.
Annorum in medio occidit, velutq;

Aratro

Aratro eruitur tenerrimus flos,
Nihil commeritus, nouisq; summè
Exemplis cruciatus hinc recedit.
Nudus oppetit, atque despicatus,
Heu ab omnibus heu relictus. Hoc est
Illum quo Solymæ remunerantur.
Vt latro perit, inter & latrones.
Vt pauperrimus, vtque abominatus
Vita demigrat, haud in arce celsa,
Et regalibus abditis domorum:
Ah non in thalamo aureo, aut eburno,
In lecto Tyrio, léuiq; pluma:
Verùm in stipite, sub Ioue, ante vulgus,
Loco fœtido, & oßium referto.
Sed nec inter amiculos gementes,
Non tuis pia mater in lacertis.
Non adest famulus neceßitate
In tanta, neque qui alloquatur vllus.
Non manum queat, aut pedem mouere.
Non sese in latus alterum mouere.
Heu fixus nimis est, nimisq; dirè
Extensus, cruciatuumq; plenus.
Sic ergo moritur Deus. Quid aurem
Deo maius habetur? O nouam rem.

XXIV. Mater juxta crucem.

CAluarũ ad montem loca funestißima natũ
Alma parens memora cur comitata tuũ es?

An quoniam tortum nec dum ſatis aſpexiſti,
Atque domi poteras haud doluiſſe ſatis?
Non te quod mulier intra ſecreta cubilis,
Supplicijq; horror, virgineusq; pudor,
Non quia dedecoris plenum Ieſu eſſe parentem,
Non odium ſceleris te retinere poteſt.
In promptu cauſſa eſt: vbi mens mea tota latebat,
Tota anima, & cordis ſollicitudo mei,
Illuc & corpus me deportare decebat,
Nec me à dilecto diſſociare meo.
Ante meos oculos eius mihi ſemper imago,
Amborumq; dolor heu dolor vnus erat.
Quos ego non gemitus, quæ non ſuſpiria fudi,
Quas volui lacrymas ſub cruce ſtans miſera?
O lumen generis mater dulciſsima noſtri,
En fleo, dum fletus mente voluto tuos.
Nam quod tam rigidum pectus, tam cornea fibra,
Quam Mariæ nequeat perdomuiſſe dolor?
Vt tua prælargos fuderunt lumina rores,
In cruce dum ſobolem mœſta tuere tuam?
Squalentem barbam, & concretos ſanguine crines,
Pendulum, & attingens pectora ſumma caput,
Et quondam nitidos oculos, nunc ſanguine fœdos,
Pallidulum nimis os, arida labra nimis,
Affixosq; pedes, geminas & in arbore palmas,
Orbatum ſpecie corpus & omnē ſua.
Nunc vbi blanditiæ, & quæ baſia multa dediſti,
Gaudia nunc vbi ſunt priſtina Virgo tua?

Extremo

Extremo mutata tibi sunt gaudia luctu,
Materia heu venit questibus apta tuis.
Pendentem, credo, cupidè amplexata fuisses,
Suauia iunxisses illius atque genis.
Copia nulla data, & conantem dicere pauca,
Pauca dolor vetuit, fletus & immodicus.
Quid tibi tunc animi, cum te spectaret amanter,
Discipulo & propriam traderet inde suo?
O tibi quos SEPTEM pepererunt VERBA dolores.
Illius & clamor, illius & lacrymæ?
Et qui nunc etiam bacchabantur maledictis,
Et quorum armatus nunc velut ante furor.
Prô nec aquam sitiens habuit, gustauit acetum,
Ducere qui nobis Lesbia vina dedit.
Optabas superis vnà concedere ab oris,
Aut pro illo simili funere posse mori.
Miles vbi lateri sceleratam intorserat hastam,
Tum latus optabas figeret hasta tuum.
Extincto siquidem sordebant omnia nato,
Pro centum ille tibi millibus vnus erat.
Omnia cum nato, tibi quæ iucunda, peribant.
Quis pote mœrentem te cecinisse satis?

XXV. Maria filium exanimem complexa.

VT longa nimium visa Genitrici mora est.
Dum frigidum corpus refigunt, & sibi
Gremio fruendum dant? quod impensè rogat,

Etsi

Etsi ad sepulturam appetens vespera vocet.
Ibi tunc amanter multa facta credite,
Nec non dolenter dicta multa, & blanditer.
Nouas ocellis guttulas nitentibus
Rursum profundens lustrat artus singulos.
Nil integrum. Numerare vulnera incipit:
Sed numerus innumerus vetat sumere operam.
Amplectitur, modoq; huic, modo illi tristia
Parti dat oscula, & osculis atque lacrymis
Singultiens tales sonos interserit.
Ergóne iaces deuicta sic potentia?
Aeterne splendor itané iam fuscatus es?
Obmutuisti quomodo sapientia?
Dulciloqua lingua, verba promens aurea,
Iam nunc siles, nec me, vt solebas, placidulè
Affaris? Hócne ego caput ad sinus meos
Frequenter applicui? hasne ego quondam genas,
Hoscéne oculos velut micantes stellulas
Dissuauiata sum ad trecenta millia?
Istúcne corpus tulimus inter brachia?
Dulcedo mea, mi nate, mi suauissime,
Spoliata te quid agam, quò eam, haud liquidè scio.

FLORIDORVM
LIBER TERTIVS, Qui & Secundus
DOLORVM.

I. Prouocatio rerum naturæ ad luctum.

QVantum quantum vbicunque quæ-
lecunque
Rerum ab omnipotente fabricatũ est,
Mecum ô tristificos inite questus:
Communem ô sine fine lugeamus
Altorem, dominumq́; , vindicemq́;
Extrema impietate perfidorum
Heu letho miserabili peremptum.
Cœtus cælicolûm obstupescitote,
Fletu largifluo intueminiqúe:
Cui laudes modulamini vsque & vsque,
Horrendùm laniatur, & necatur.
At vos terricolæ, quibus salutem

Mors infanda dedit, scelesta quorum
Sanguis immeritus piauit acta.
Pectus plangite, vellitote crines,
Exangues lacrymis madete vultus.
Vos qui cuncta celerrimo rotatu
Certo fœdere circuitis orbes,
Suetis cursibus imperate nunc iam,
Ac tot luminibus videte, amabo,
Exemplum tragicißimi furoris.
Amnes sistite, & asperate lymphas,
Squalescant simul arua, prata, syluæ,
Rumpantur silices, pecus nec vlla
Herbam tondeat, omnia indolescant.
Plorent mutuà muta, & ingemiscant.
Quantum quantum vbicunque, qualecunq;
Rerum ab omnipotente fabricatum est,
Mecum ô tristificos inite questus.

Threnodiæ Filiarum Hierusalem.

I.

Rector optimè maxime,
Cunctorumq; sator Deus,
O cur nam tibi sustines
Abiectis ab homunculis
Sic indigna reponi?
Quos tu existere iusseras
Quos donis cumulaueras,
Hi te ceu capitis reum

Inuadunt inimicius,
Pro latrone trahentes.
Nil pugnas capientibus,
Offers te religantibus,
Permittis rapientibus,
Non minis regeris minas,
Non certas maledictis.
Qualis est placidißima,
Inter quadrupedes ouis,
Tonsorem patitur silens,
Nec balatibus arguit
Cultro se iugulantem.
Humor labitur in genas,
Et suspiria ab intimo
Corde tristia ducimus.
Orbis siccine ius erat
Heu commissa piari?

II.

EHeu quò pietas Dei,
Quò fidißima charitas,
Et immensa benignitas,
Et perpeßio multiplex
Adhuc progredietur?
Ab atrocia atrocibus
Iunguntur, fabricant noua
Tormenta in dominum meum.
Heu semper grauioribus
Succedunt grauiora.

Expeditus ab omnibus
Quantum nemo piaculis,
Pœnas attamen impias
Noua fert tolerantia,
Insons pro sceleratis.
Quod peccauit homo, Deus
Per ludibria plectitur.
Nec finis dabitur prius,
Quam fixus trabe pendeat.
Quis comprendat amorem?
Ecquis huic simile audijt?
Quando talia vidimus?
Vt viuant meriti necem,
Mactatur Deus ipsemet.
Quis comprendat amorem?

III.

O *Terræ, ô pelagi vada,*
O sacraria cælitûm,
Concitamini, & omnibus
Contra surgite viribus.
O Iudæa quid audes?
Qui iudex sedet omnium,
Cur à iudice ad alterum,
Tum post rursus ad alterum,
Ad quartum quoque truditur?
O Iudæa quid audes?
Annas heu alapam intulit,
Cayphas prô male contudit,
Herodi bene risus est,

Pila-

Pilatus faciet mori.
O Iudæa quid audes?
Quin cum militia tua
Sexcentis legionibus
Accurrens Michael, Deo
Prognatum hostibus eripis?
O Iudæa quid audes?
Qui nam odisse potes virum,
Quem rerum omnia diligunt?
Ah tun' hunc iugulaueris,
Qui viuentia condidit?
O Iudæa quid audes?

IV.

HEu corpus lacerum nimis,
Quod siccis oculis queat,
Extremis Garamantibus
Sit quantumlibet editus,
Vsurpare nec vllus.
Forma lugubris aspici,
Fœdis sordida phlegmatis,
Salsis ebria roribus,
Forma informis, & omnibus
Gratijs spoliata.
Implete aëra questibus,
Dies addite noctibus,
Sint lamenta perennia,
Nullus sit lacrymis modus,
Finis nulla querelis.

Flos pulcherrime Virginis,
Rosa & lilio amœnior,
Marcuit species tua.
Posthac ambrosium, vt prius
Non efflabis odorem.
Ah si vapulat, ipsemet
Flagra si patitur Deus,
Quid tibi ô homo pro tuis
Summorum scelerum putas
Est noxis subeundum?

V.

QVid vulgus stolidum petit?
Quid gens effera postulat?
Nolunt viuere, sed mori:
Letho propterea student
Ipsam tradere vitam.
Hoc si consilium sedet,
Vosmet perdere, vestraquê,
Quò sic dispereat salus,
Euge ad exitium simul
Aeternum properate.
Atrox clamor, & horridus
Mihi dissecat ilia.
Quid potest truculentius,
Quid potest sceleratius
Votis fingier istis?
IESV quis tibi fert opem?

Quis patrocinium tibi?
Nemo se socium applicat?
Nullum cura subit tui:
Desertus morieris.
Non est auxilio pater:
Non te cælicolæ tegunt:
Tulit discipulos fuga:
Nullum cura subit tui:
Desertus morieris.

III. Iesu spinis coronati adoratio.

TE regum dominum, te genitum Deo,
Aequalemq; patri, & cuncta simillimum
Iam nunc horriferis in cruciatibus
Versantem, haud colimus minus.
Salue noster amor, noster aue Deus,
Quem sic coccinea veste hominum nefas
Cum sceptro fragili, cum diademate
Affecit rigidißimo.
Nostrum grande decus, gloria, faustitas.
Qui condis vegetas, pascis & omnia,
Cur te sponte tua talibus obijcis?
Dent pœnas meriti suas.
Humano generi Rex bone parcito.
Mitem da veniam te laniantibus.
Hoc suadet pietas, quæ regionibus
Te vocauit olympicis.

IV. IESV in cruce pendentis adoratio.

SEmpiterno patre natus
Orbis ante machinam,
Angelorum rector, atque
Constitutor omnium,
Cum scelestis computaris,
Auctor innocentiæ.
Tu misertus exulantum,
Tetra propter crimina,
Vltro descendis paterno
De sinu, factusq; homo,
Hac piacularis ara
Immolaris victima.
Nos adoramus cruentum
Ora, corpus liuidum,
Mille plagis vulneratum,
Diritate plurima.
Parce Iesu, nescientes
Qui necem tibi inferunt.
Te dolentes contuemur
Cum nouis ploratibus:
Teq; numen confitentes
Comprecamur sedulò:
Esto vita mortuorum
Morte mortem exterminans.
Præstiturum hoc spondet ipse
Euidentibus notis.

Nam

Nam caput demittit ecce,
Vt reis det osculum.
Et manus extendit ambas,
Stringat vt complexibus.
Laus tibi IESV decusqúe
Sæculis sit omnibus.
Te polus, tellus, & æquor,
Cælites, & inferi,
Vt salutis architectum
Prædicent amplißimè.

Aliud.

SPectaculum crudelius,
Nefastius, funestius,
Vnquamné vos mortalium
Hausistis, oro, lumina?
Heu Rex ferarum vim suam
Impastus in te contulit:
Heu tigris immanißima
In frusta te sic distulit.
Sed ista tigris, hic leo
Ego fui IESV tibi.
Peccata quæ peccauimus,
Te tot dedere mortibus.
Ignosce faßis, ô bone,
Cui proprium est ignoscere,
Ah gratis, ah ne fuderis
Totum per artus sanguinem.

V. De consensu Mariæ matris.

QVam vos lethiferam prope
Stantem cernitis arborem,
Miris tristiculam modis,
Pendenti cruciatus est,
Vt charissima mater.
IESVS quæ patitur dolet.
Matris mœstitia suæ
Fibris vritur intimis.
Sic rursum crucifigitur.
Heu cruces geminatas.
Nemo tam extitit eloquens,
Dictis posset vt assequi,
Quantum propter amabilem
Se se filius optimus
Afflixit genitricem.
Videbat sua vulnera,
Quæ perferret & omnia
Molle cor penetrantia,
Confectamqúe doloribus
Tantùm non morientem.
Matrum maxima quid facis?
Gnatum ne mage torseris.
Si vis hunc leuius pati,
Quod te velle quis ambigat?
Quanquam inuita recede.

VI. Naturę necē conditoris miserantes.

Postquam sacratam corpus emisit animam,
Victorqúe mortis iura mortis pertulit,
Natura luxit omnis auctorem suum.
Iudæa sola, cui parabatur salus,
Se gaudijs dedere potuit, & lusibus.
Quos ad se IESVS vagiens exciuerat,
Prædulcia ad cunas canentes carmina,
Iam nænias superi canebant alites,
Lumina gerentes fletibus stillantia.
Sol retro currus non potis conuertere,
Quod potuit, infecit comas ferrugine
Iratus, ac mœstam diu absq; lumine
Ostendit orbi frontem, & auctorem suum
Sic interemptum luxit, æternam improbis
Noctem minatus. Palluerunt sidera.
Concussa tellus fremuit horrendum in modum,
Sensere & ipsa cadauera Dei iniuriam,
Ruptisq; tumulis prodiere viuida.
Per nemora volucres abstinebant cantibus.
Per prata, per agros, per iuga alta montium
Gemitum dabant inusitatum animantia.
Quis hanc necem tuam, Agne patientißime,
Non lugeat, luxere quam sic omnia?

VII. Ad quinque vulnera.

Qvinque fonticuli cruore sacro
Manantes domini, Deiq; nostri,

 Bella

Bella insignia, maximæq; signa
In nos indubitata charitatis,
Cælesti illecebra, leporibusq;
Diuinis opulenta, nectarisq;
Vestro nectare dulciora succis.
Pedum ô vulnera, & vtriusq; palmæ
Vulnus, & lateri quod hasta vulnus
Quintum fecit, inest medela vobis,
Per quam vulnera sontium valescant.
Quas sordes ego cunque contraho, quas
Conscisco miser indiesq; culpas,
Ad hos fonticulos lauo, eluoq;,
Niue & candidior reuertor inde.
Nunc porta est reserata, nunc apertum est
En latus, modò me inferam ingeramq;
In istuc penetrale, in hac cauerna
Securus recubans, nihil requiram.
Hîc mî copia suppetet benigna,
Hîc edamq;, bibamq;, dormiamq;,
Hoc conclaue meum colam per æuum.

VIII. Salutationes ad membra IESV exanimati.

Ad caput.

SAlue caput venerabile,
Aspris opertum sentibus,
Et fuste mactum pluries,
Propter scelus mortalium.

Ad

Ad capillos.

Auete crines sanguine
Offusi, & à sicariis
Prensi, reuulsi immaniter,
Propter scelus mortalium.

Ad faciem.

Salue ô adoranda facies,
Turpata sputis impiè,
Velata, & alapis turgida.
Propter scelus mortalium.

Ad oculos.

Pudica auete lumina,
Benignitatis indices,
Tot functa nuper imbribus.
Propter scelus mortalium.

Ad os.

Salue os aceto, & fellea,
Facinore crudelißimo,
Vexatum amaritudine,
Propter scelus mortalium.

Ad aures.

Aures auete, sæpius
Probris onustæ turpibus,
Dictisq; petulantißimis,
Propter scelus mortalium.

Ad collum.

Saluete colli candida,
Duris ligata funibus,
Pugnis petita centies,
Propter scelus mortalium.

Ad brachia.

Et vos auete brachia,
Per arborem illætabilem
Distenta quam sæuißimè,
Propter scelus mortalium.

Ad manus.

Salũere vos iubeo manus,
Ferociore cum impetu
Clauis foratas ferreis,
Propter scelus mortalium.

Ad pectus.

Aueto pectus inclytum,
Tot verberationibus
Contusum, & affectum malè,
Propter scelus mortalium.

Ad latus.

Salue latus sanctißimum,
Telo retectum militis
Patentiore vulnere,
Propter scelus mortalium.

Ad genua.

Auete genua iterum iterum.
Sanctis precationibus
Curuata humi plus millies,
Propter scelus mortalium.

Ad pedes.

Saluere vos volo pedes
Lassos profectionibus,
Crassisq; clauis peruios,
Propter scelus mortalium.

Ad pretiosum sanguinem.

Saluete riui sanguinis,
Toto fluentes corpore,
Et singulis ex artubus,
Propter scelus mortalium.

Ad corpus vniuersum.

Salueto corpus nobile,
Cæsum flagellis, in crucem
Suffixum, & illic mortuum,
Propter scelus mortalium.

Ad sacrosanctam animam.

Aue anima diuinissima,
Completa tot mœroribus,
Oppressa tot doloribus,
Propter scelus mortalium.

IX. In sacrosanctam, ac triumphalem crucem.

FIlias inter generosiores
Tute syluarum magis eminebas,
Apta quæ ferres pretium redempti
Nobile mundi.
Ara tu verè potis es vocari,
Qua super se sacrificauit Agnus:
Sola tu pacem profugis dedisti,
Sola salutem.
Te crucem laudent, tibi suauè cantent,
Frontibus gestent, & vbique pingant,
Qui tuo æterna nece liberati
Munere viuunt.

Aliud.

GEmmis trabes fulgentior,
Arbor lapillis clarior,
Auro micante purior,
Terra polóque dignior:
Quibus creatam te iugis,
Quibus satam radicibus
Posuisse ferro brachia
Sanctam putemus arborem?
Beata mater arboris,
Beata sylua germine:
At tu trabes beatior,
Regis cubile maximi.

Suffixus

Suffixus in te scilicet
Cuneis pependit ferreis
Qui pascit vnus omnia,
Et cuncta verbo condidit.
In te profusis lacrymis
Efflauit extremum halitum,
Manansq; totus sanguine
Commissa nostra diluit.
Hic tanquam in ira fumida,
Placabilis ceu victima,
Quæ scelera non admiserat
Agnus piauit innocens.
Decora trabs & lucida
Quocunque ligno celsior.
O arborum pulcherrima
Nullis tacenda sæculis.

X. In coronam spineam.

O corona præ coronis
Omnibus spectabilis,
Et lapillis, margaritis,
Omni & auro pulchrior,
Præpotens quam Rex sacrauit
In tremendo vertice.
Hæc ahena cassis illi
Prælianti cum hostibus,
Quos crucis prostrauit armis,
Et peremit funditus:

Ipsa deinde dum triumphat
Facta victrix laurea.
Hanc coronam sic honorant
Regis almi symbolum,
Mente pura sint colentes,
Christe qui te diligunt:
Et supernæ ciuitatis
Qui coronas appetunt.

XI. In clauos.

LEge qui nulla, spatio nec vllo
Continetur, quiq; meat latebras
Abditas quamuis Deus irretentus,
Hunc tenuistis.
Fama quæ vobis data, quiúe honores?
Dum volunt omnes meminisse vestri,
Et pijs clauos monumenta sancta
Tangere labris.
O decus diam penetrasse carnem,
O decus fontes roseos bibisse,
Sunt quibus noxæ penitus lauatæ
Totius orbis.

XII. In lanceam.

SPiculum charum, hasta felix,
Prædicanda iugiter.
Nulla tecum certet hasta,
Sit licet clarißima,

Cæsarum

Cæsarum ipsorum inter arma
Hauseritq; sanguinem.
Sempiternum hastile viues,
Donec appellabitur
Nomen eius, vulnerastò
Quem licet iam mortuum.
Quattuor fontes fluebant.
Quintus abs te fossus est.
Tu fidelibus recludis
Expetitam ianuam,
Pectus intrent vt sacratum,
Ipsamet præcordia,
Atque ibi pascant, cubentq;
Continenti iubilo.

XIII. In flagella, spongiam, arundinem.

Lora queîs sanctum lacerare tergum,
Brachia, & ventrem, teretesq; suras,
Candidos nec non humeros, & omnes
Contigit artus:
Tuq; mordaci madefacta aceto
Spongia, os siccum sitientis vrgens,
Tuq; pro sceptro data, verticisq;
Pulsus arundo:
Procidit vobis chorus ecce noster,
Signa tantorum reuerens dolorum.
Eia mortales veneremur orbis
Signa recepti.

XIV. Ad Iesum patientem.

QVid esse vult, mi chare IESV dicito,
Quod liber ipse, & omnium liberrimus,
Captiuus, atque seruus vltro factus es?
Tuæ vt catenas seruitutis rumperem,
In sempiternum redderemq; liberum.
Adactus es cur iudices nequißimos,
Cur falsa mutus pertulisti criminum?
Vt vera tua crimina mea taciturnitas
Excuset olim iudici iustißimo.
Cur dedecore coopertus es quàm plurimo,
Cur omnium factusq; contemptißimus?
Vt mea decus tibi pariat contemptio,
Veros honores, gloriam verißimam.
Cur verberum perpessus atrocißima?
Cur dorsa flagris exarata conspicor?
Vt ne ferenda sint tibi mala verbera,
Longaq; flagella præmium peccantibus.
Cur sic cruento rore manant tempora?
Cur sic corona quæso cinctus spinea?
Vt tu corona cingereris aurea,
Rerum potens, regumq; rex regalior.
Cur Golgatham pœnas abis ad vltimas,
Ceu latro cum duobus ab latronibus?
Vt tu comitibus angelis palatia
Intres olympi, & gaudio circumfluas.
Cur poculum dedere fellis fellei?

FLORIDORVM
LIBER QVARTVS, Qui & Primus
DE VIRGINE MATRE.

IMMACVLATA MARIÆ CONCEPTIO, ET SANCTIFICATIO.

I. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

TEu quondam pater ille sæculorum
Vastum surgere cum iuberet orbem,
Terrarum populis suam parentem
Quauis labe procul piaculoq;,
Integram, nitidamque, & innocentem,
Miranda bonitate suscitauit:
Sic cum te sibi condidisse matrem
Aeterno statuisset arbitratu,
Puram, lucidulamq;, candidamq;,

Primæua

Primæua illuuieq; liberatam
Extra Adamigenas creauit omnes.
Haud mundanda domus, sed ipso ab ortu
Quam mundißima condecebat illum,
Quo nil mundius est, nitentiusúe.
Te contagia nesciêre prisca:
Te non collutulauit vlla noxa:
In te næuulus haud inhæsit vllus.
O & sole magis serena, & astris.
Tu pulcherrima tota es, & fuisti,
Ex quo te tua parturire cœpit.

II. Sanctificauit tabernaculum suum altißimus.

QVum cælestia iussa protoplasti
Sunt ausi temerare, mox in iras
Ardescens opifex supremus ille,
Ipsos, & quot erunt, quot & fuerunt
Per tot sæcula temporum nepotes
Stygis mancupio dedit tyranno.
Vna & vnica Virgo Mater, ad quam
Haud quidquam attinuit iugum hoc, & ira hæc,
Vel cælestibus antelata cunctis,
Suo proxima puritate nato.
Qui tale hospitium sibi cooptans,
Sanctitudine perpoliuit omni,
Gemmeum, aureum, eburneumq; fecit.

ANGELI.

III. Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis?

HEm veſtigia prima molientem
Natam Regis olympici obtuentes
Spectate ô comites. Recens puella
Vt prodit ſpecioſa? vt à parente eſt
Honeſtata monilibus ſuperbis?
Germen nobile, perpuſilla virgo,
Nihil cui ſimile eſt, nihil ſecundum,
Maternis habitans adhuc latebris,
Salue terqúe quaterqúe, centiéſque:
Olim cælicolûm futura præſes,
Humanæ columen, decusq; gentis.

ORTVS, ET INFANTIA.

I. Ad Annam, & Ioachimum parentes.

DVlcia iam querulos mutarunt gaudia
Fulſit & illa dies, (luctus,
Illa dies fulſit ſteriles quæ finiat annos,
Tollat & opprobrium.

Flos nouus exoritur, miros qui fundat odores,
Bellulus omnimodis.
Efficit ipse Deus pulchra vos prole parentes,
Pollicitisq; manet.
Hæc matremq; patremq; & auos longo ordine sacros
Nobilitate sua
Efferet, immensoq; domum decorabit honore,
Isacidasq; suos.
Nascere tot desiderijs optata puella,
Nascere chara Deo,
Charaq; cælitibus, chara & mortalibus, & qui
Pallida regna colunt.

ANGELI.

II. Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol?

QVæ tanta sterilis fœminæ fœcunditas?
Huiusce quæ conditio partitudinis?
Aurora, sol, & luna generantur simul,
Trium instar horum sola habet puellula.
Quæ tanta sterilis fœminæ fœcunditas?
Quam non fugabit lux noua hæc caliginem?
Aurora splendida, dum aperis atria tua
Plenißima rosarum, occuluntur sidera.
Nam lucidorum es vna sidus siderum,
Veram diem mox affuturam nuntians.
Quæ tanta sterilis fœminæ fœcunditas?

IIDEM.

IIDEM.

III. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, quasi virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?

QVid hoc odoris omnium suauißimi
Magni per oras ætheris diffunditur?
Vnde ô locorum afflatur hæc fragrantia?
An terra tales huc remittit halitus?
Etiam. Videte inculta solitudinum,
Vallesq; desertas, & ardua montium,
Hinc vna fumi virgula hucce subuolat
Thuris Sabæi, & omnium ex aromatum
Composita nuper singulari puluere.
Puella inertis tamdiu munus vteri
Expirat hanc iucunditatem narium,
Diuosq; cunctos, & genus mortalium
Plus Arabicis adeò recreat odoribus.

IV. Genethliacum.
ANGELI.

FElices ambo ante alios, faustiq; parentes,
Quum tali tantoq; beastis pignore mundum,
Et maculam sterilis thalami delestis acerbam,
Pensantes admirando infortunia fœtu.
Accipite ergo, animis scribentes omnia vestris,

Quæ nunc veridico concordes ore canemus:
Nam pater omnipotens prædixit singula nobis.
Nascere spes hominum, decus ætheris, horror auerni.
Antiqua haud parilē viderunt sæcla hymenæū,
Par neque coniugium ventura tuebitur ætas.
Quid Ioachime siet te fortunatius vno,
Cui tam præstantem concessum est tollere natam?
Quid verò Anna potest fingi te illustrius vna,
Cui tam diuinam licuit peperisse puellam?
Nascere spes hominum, decus ætheris, horror auerni.
Haud olim humana quenquā de stirpe oriundū.
Dum sese emergit materna infantulus aluo,
Ipse Deûm genitor tam læto lumine vidit.
Non alium mortalem æqua ratione creatum
Cælicolûm gentes secum meminisse potessunt:
Talibus hæc virgo progignitur ornamentis.
Nascere spes hominum, decus ætheris, horror auerni.
Tristiculo non hanc fletu stillare puellam
Cernimus, en placidùm vultu iucunda renidet,
Purpureosq; iacit radios, redoletq; merum ver.
Tota domus plaudit, lætantum limina cœtu
Charorum opplentur, declarant gaudia verbis,
Captantes venerabilium præsagia rerum.
Nascere spes hominum, decus ætheris, horror auerni.
Aurea nunc tandē in medium se protulit vrna,
Viuifici panis multò dignissima custos.
Ecce tibi thronus, & Salomonis lectulus hic est;
Hoc constructum illi nullo molimine templum;

Hem

Hem tibi virga, frutex cui non hærebit, & ipsa
Se in flores, frondesq; comantes induet vltro.
Nascere spes hominum, decus ætheris, horror auerni.
Cedite Iudithæ, Rachaeles, cedite Saræ,
Sola obscurabit vestras hæc fœmina laudes.
Quam pius altitonans intactam corpore sancto
Ipsemet implebit, maiestatemq; tremendam
Virginea effundent arcano viscera partu,
Diceturque Dei (mira ô res) mater in æuum.
Nascere spes hominum, decus ætheris, horror auerni.
Post multas hodie lux felicißima luxit,
Aeternam & toto noctem discußit ab orbe.
Nunc secreta Dei reserantur, & abdita vatum
Dicta fidem inueniunt manifestam, atq; ostia olympi
Iam pridem scelere humano præclusa patescunt.
Ibitur ad superos iter hac monstrante puella.
Nascere spes hominum, decus ætheris, horror auerni.

V. Ad Gerulam.

QVod te puellam cæteris cuncta similem
Portare circum veris inter brachia,
Tractareque audes pro tuo hanc arbitrio,
Colludere, & disuauiari identidem,
In hoc aberras veritate plurimum.
Namque est puellis omnibus præclarior;
Nec vidit aliquid Phœbus hac sacratius.
Reuerenter ergo isthanc habeto infantiam,
Eique summis fac opibus inseruias.

Ne te colentes ſupera peßimè oderint,
Quibus eſt amori dulcis hæc Marillula.

VI. ANGELI AD MATREM.

DA mater eia nobis
Da da tuam Marillam,
Miſellà vagientem.
Fouebimus vicißim,
Puerile blandiemur.
Tacebit illa pulchre,
Ocellulisque ſiccis
Ridebit vſque nobis.

MATER AD ANGELOS.

Vobis meam Marillam
Ego darem libenter:
Niſi hoc vererer vnum,
Ne tardius rediret
Gremium in meum, ſinusque.

ANGELI AD MATREM.

Hera noſtra quid ſi apud nos
Diutulè moretur?
An negligenter illam
Curare poſſe ducis?
Amare maximè nos
Noſtram tuam Marillam
Non quit tibi latere.

MATER AD ANGELOS.

Puellulam ergo vobis
Habete, & arbitratus
Vt vester est, habete,
Mulcete, confouete,
Exosculaminiq́;,
Datote per manusque.
Vestra sodalitate
Mage quàm mea triumphat.

VII. De lectulo.

H*As cunulas, & istum*
Qui lectulum pararunt
Nuperrime huic puellæ,
Opinione lapsi
Grauiter sua fuerunt.
Procul hinc procul facessant
Culmique, plumulæque,
Cum ligneis tabellis,
Cum lineo torali.
Meliora, mundiora
Diuam decent puellam.
Si vultis huic cubile
Dignißimum parare,
De bellua Libyssa
Eburneum parate.
Superadditote gemmas:
De lanulisq́; Serum in-

Culcate culcitellam.
Sint straguleq́; vestes
E purpura, atque byßo:
Circumqúe liliorum
Segmenta margaritæ.
Sic sic cubare fas est
Decentiusq́; longè,
Meliusqúe, molliusqúe.
Nam Regis ista celsi
Quæ nata nunc, eandem
Post sex decemq́; messes
Leget sibi parentem.

VIII. Mater ad filiolam, & ancillulam.

LVsimus satis, ô mea
Vita, ô & requies mea,
Salus atque medullula:
Lusimus satis, imminet
Dulcis horula somni.
Rusca adsis bona Ruscula,
Huc tendas propero pede,
Stratum filiolæ meæ
Compone ocyus ocyus,
Natant lumina somno.
Tum quando reposiueris,
Vt obdormiat arctius,
Bellam næniolam occine,

Flabello face ventulum,
Et compesce tumultus.

IX. Increpatio somni tardantis.

CVr te somne parum mouent,
Queîs te vocibus inuocat,
Queîs vagitibus obsecrat
Tam pulchella puella?
Antehac auribus vsus es,
Quantùm qui solet optimè.
Prô iam captus es auribus,
Nil nostri miserere.
Nunc si insomnia læserit
Diam fortè puellulam,
Quem tandem nisi te penes
Culpa omnis residebit?
Si venis, venias citò,
Ocellosquée soporibus
Contegas vigiles diu.
Somne somne venito.

X. POETA, PICTOR.

PErite pictor euge
Mî sume penicillum,
Minuta & in tabella,
Quantum potes venustè
Virgunculam Mariam,
Virgunculam venustam

Simulato, quam reponam,
Et clauibus trecentis
Agalmatum ceu agalma
Mî fidus ipse seruem.
P. *Desiderare vita*
Quod arte maius omni.
Lætißimos honores,
Inexplicabilesq́;
Cui gratias poli Rex
Afflauit ipse, nunquam
Manus sequendo reddet.

XI. Salutationes.

A*Ve liliolum recens,*
Aue punicea ô rosa,
Flos bellißime salue.
Aue laus generis tui,
Aue arbuscula fertilis,
Iessæ virgula salue.
Aue cælicolûm stupor,
Aue terricolûm iubar,
Proles regia salue.
Aue sanctum habitaculum,
Aue olim genetrix Dei,
Mater maxima salue.

XII. Membrorum compellationes.

V*Enter, ventricule, ô beate venter,*
Túne intra tua claustra continebis

Quem

Quem non concipit amplitudo mundi?
Vosné quondam alimenta lactis illi
Paruæ suppeditabitis papillæ,
A quo cuncta alimenta procreantur?
Per quem nec minima esuriuit ales?
Felices nimis oh nimis papillæ.
Vos ô brachiola, ô lacertuliq;,
Vobis tangere, gestitare vobis,
Et amplexibus implicare crebris
Numen omnipotens, & æuiternum
Potestate licebit inuidenda.
Salue os purpureum, labella auete,
Quæ Deo puero cum amore dulci
Longe plurima basiationum
Factura estis. Auete vos ocelli,
Melliti, rosei, sereni ocelli.
Heu quam flumina larga lacrymarum
Vos olim in miserum dabunt ruborem?
Quando nempe mala illa magna fient.

OBLATIO, ET STVDIA IN TEMPLO.

I. Ascensus per scalas citra nixum.

IAm virguncula tertiū Nouembrem
Agens, ingenio preibat annos.
Cum quamuis teneram, pusillulamqúe
Parentes statuêre dedicandam.
Quid ergo? ad Solymæ feruntur vrbem,
Excelsum properant inire templum.
Paruulam induerat sed Anna mater
Et noua, & niuea stola, vt decebat.
Flauentes humeris comæ fluebant,
Corona aureola ambiente frontem.
Ad gradus operosæ aditur ædis:
Ascensu superat puella cunctos,
(Et ter quinque fuisse fama certa est)
Per se sola, manu trahente nulla,
Læto, blandidulo, pioqúe vultu.
Miraclum superi canunt ouantes.
Stupescunt nouitate cum parentes,
Tum, cui traditur, ipsemet sacerdos,
Diuinans animo puellulam istam
Suis eximio futuram honori.

II. Cum

II. Cum essem paruula, placui altissimo.

ÆTatem mediam, vltimos & annos
Haud in me sibi destinauit ille
Naturæ dominator, architectus,
Tantillam à tenero vngue, paruulamq;
Miro virginem amore comprehendit.
Iam tum deliciæqúe, gaudiumqúe
Tibi ô cunctipotens eram, inde nempe
Sponsam me propriamqúe denotasti,
Et mente interiore collocasti,
Ornatamqúe monilibus dedisti,
Quantum ornabitur amplius nec vlla.
Mortales, rogo, tollitote mecum
Tam grandes mihi præstitos honores.

III. Meditationes, lectiones.

DVm nubiles anni venirent, tamdiu
(Sic mos tenebat) ædis altæ limina
Habuit puella, quam Deus sibi suam
Sedem excolebat in dies magis magis,
Quacunque vt esset pulchra sanctitudine.
Nam quæ putamus cogitata Virginis
Fuisse? non liquoribus perfundere
Crines nitentes, gemmulis, & annulis,
Cultuq; peregrino ingredi, & se vendere
Spectantibus, faciemq; fuco pingere.
Non non studebat ista: sed soli Deo

Vti placeret, diligere quem cœperat
Ex intimis præcordiȷ̃s, tota & anima.
Voluebat hunc diebus, atque noctibus,
Omnis erat hîc defixa cogitatio,
Et hunc legebat sacra per volumina.
Ibi multa de mysteriȷ̃s cælestibus:
Sed plura longè de vnico nato Dei.
Hunc restitutorem salutis affore,
Puella quem libata nulli gigneret.
Eum vt videret, posse ducere spiritum
Optabat, & seruæ in loco famularier
Matri beatæ; & puerulo augustißimo.
Mulcere lymphis illius vestigia,
Viduum cubile vestibus consternere:
Istum lauare, & cunulas componere,
Portare in vlnis, facere eidem ludicra,
Fruiq; sanctis suauiationibus.

ANGELI.

IV. Soror nostra paruula est, & vbera non habet.

ADeste sociȷ̃ quotquot estis incolæ
Stellantis oræ, & vestra figite lumina
Tantillulam hanc in virginem, in templo dies
Cum noctibus agentem. Videtis vt soror
Nutricibus nondum est sororiantibus:
Concipere, lactareq; Deum nondum queat,

Tenella membris, & tenella corpore,
Matura sed animi, sine exemplo & typo.
Inter sodales, inter vt minutula
Luna solet astra, fundit splendidum iubar.

V. Sermones, & precationes.

QVo abundant animi, id loquuntur ora.
Pectus Virginis omne, numen almum
Iam deuinxerat: id sonabat ergo.
Non quidquam nisi sobrium, pudicum,
Immortaleq; lingua proferebat.
Illam visere cælites solebant,
Atque in colloquium venire crebrum.
Quantum dedita erat precationi?
Vt noctes quoque eam iuuabat ipsas
Conferre ad pia vota, & ante cuncta
Diuinam rogitare charitatem,
Mentem crimine quolibet solutam,
Rerum sensiliumq; despicatum,
Ac demum omnia virgini decora,
Et pacem populo, & salubritatem,
Timoremq; Dei, probosq; mores?

VI. Labores puellares, & victus.

DIcamus euge imbelle semper otium vt
Fugeret, laborans congruenter sexui.
Colum tenere lana amictam cerneres,
Leuiterq; deducendo fila digitulis

Formare

Formare summis, atque prono pollice
Versare tereti sæpe fusum turbine.
Iuxta pedes calathiscus autem vellera
Custodiebat lanæ. Item studio fuit
Radijs acutis stamini subtemina
Inserere, telas doctè acu depingere.
Mensa breuis, & dapes inemptæ crebrius:
Nec leniebatur stomachus vnquam satis,
Quanquam latrando debitum reposceret.
Quin sæpenumero deuolantes angeli,
Lautiaq; plenis oggerentes lancibus
Famen eximebant Virgini, fideliter
Subseruientes velut heræ per omnia.

VII. Dedicatio virginitatis.

QVid cum catenis est mihi iugalibus,
Cum seruitute grauissima, durissima.
Cum mille curis, mille cum molestijs?
Valeant connubia valeant, nam filios
Nihil moror, non posco mî vllam familiam.
Quid libero iucundius sit lectulo?
Tu tu, Pater, qui cuncta torques, confoues,
Meos amores tibi habeas, sponsa tua sim.
Tu sponsus esto, si mereor, & si placet.
Volo esse sancta corpore, volo spiritu.
Has concupisco nuptias impensius,
Tibi pudicitiam meam dono, dico
In omne tempus, vita donec suppetet.

VIII. Amoris canticum.

QVæsitus, & repertus est,
Quem cor meum desiderat.
Te te Deus desidero,
Ardentius desiderem.
Largire quod te flagito.
Hoc vnicum te flagito,
Da te mihi Deus meus,
Quem præter haud quidquam est satis.
Vacans, agens, stans, ambulans,
Te suauiter recogito,
Te cantito, te dissero,
Te te Deus desidero.
Quod cerno me non afficit,
Quod audio mî displicet.
Quod gusto, odoror non beat,
Quod tango nil prorsus iuuat.
Deus meum solatium,
Qem diligo supra modum.
Immensus est, & postulat
Immensius se diligi.

DESPONSATIO.

I. Caussæ huius matrimonij.

PVella voti quam ligabat sponsio,
Nuptura nunquã, dic mihi quare modò
Nubit, maritiq; in manũ cur conuenit?
Superna rem moderata prouidẽtia est:
Ne quis Dei mox nasciturum filium
Genitore dubio seminatum crederet.
Postea vt haberet Virgo comitem sedulum,
Nutriciumq; puer: & vt dæmona malum,
IESVM arbitrantem corporum complexibus
Satum esse (vt omnes vitam in istam venimus)
Partus verendi falleret mysterium.

II. Ad Iosephum sponsum.

O Felix toties, quot albicantes
Pigræ vis hyemis facit pruinas,
Quod spicas habet Africana meßis,
Quot Falernus ager parit racemos.
Felix ô nimium Iosippe felix,
Cui rector superûm iugare iußit
Dilectam penitus sibi puellam,
Rerum quæ preit vniuersitatem,

Magnum

Magnum te iſta virum puella reddet,
Miras lætitias tibi creabit.
Sed quod iam expetis, hoc tibi negabis,
Noles iungere corporiq́; corpus.
Vſque ad auxilium, & pudicum amorem
Veſtrum hoc coniugium ſcias iturum.
Sic fert prouida numinis voluntas.

III. Ad Mariam ſponſam.

V*Irgo, tun' agis hoc ineptiarum?*
Sic promiſſa Deo, fidemq́; ſeruas?
V. *Nil hîc eſt latitans ineptiarum.*
Nubam, conſilio Dei obſecuta.
P. *Securamnè putas diu futuram,*
Vno dum ſimul vteris ſalino?
V. *Securam efficiet Deus, per illum*
Nullus me Veneris laceſſit ardor.

IV. O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate.

Q*Vis vnquam poterit ſat eloquenter*
Caſtorum memorare nationem?
Quorum pectora diligunt pudorem,
Nec corpus mala taminat libido.
Sancta virginitasq́;, virginesq́;
O ſancti, vt radios acutiores,
Aureum iaculaminiq́; lumen?
Cæleſtum ſimiles ſodaliumq́;,

Queis

Queis cum corporibus nihil negotî,
Altè supra alios caput tulistis.
Vt vestri Aßyriosqúe, Persicosqúe,
Panchæos, Arabosqúe, Cypriosq;
Multis partibus halitus relinquunt?

ΓΑΜΗΛΙΟΝ.
ANGELI.

LVx hilaris, lux festa venit, lux candida surgit,
Floridulo ore nitens qua se ad connubia virgo
Tradit, & ipsa suum est non expertura maritum:
Quaqúe domum ducit generoso stemmate Ioseph,
Aeternum cuius non est decerpere florem.
Hymen ades, nec ades, hymen ô hymē absq; hymenæo.
Coniugium insuetumq;, illibatumq;, nec vlli
Cognitum, & haud cuiquā mundi per sæcula visum,
Fœmina, vir tali quo sese fœdere iungant.
Hymen ades, nec ades, hymē ô hymen absq; hymenæo.
Nectite florigeras sponso sponsæq; coronas,
Gratantesq; alternatim bona dicite verba;
Induitote rosis, & veris honore capillos,
Et nuptæ thalamum, & Iosephi lectulum amomi
Puluere spargentes, viola cumuletis vtrunque.
Hymen ades, nec ades, hymen ô hymē absq; hymenæo.
Viuite felices, animi coniungite amores,
Aetatem longos, optamus, carpite in annos.
Nobile coniugium, quod lustra per omnia dicent

Istius

Istius venient quotcunque in lumina vitæ.
Hymen ades, nec ades, hymen ô hymẽ absq; hymenæo.
Nascetur tamen illibata è coniuge proles,
Et nullo grauidata euadet semine mater,
Lactabuntq; Deum lactentia pectora cælo,
Patris & accipiet nomen venerabile Ioseph.
Hymen ades, nec ades, hymen ô hymẽ absq; hymenæo.

ANNVNTIATIO.

I. DEVS, GABRIEL ARCHANGELVS.

ADsis, te volo, Gabriel, meorum
Fidelißime iussuum minister.
Quid certum mihi sit, quid & velim te
Hac in re facere, auribus modò hauri.
Humanam miseratus ipse gentem,
Decreui astrifera profectus ora
Me vestire hominum artubus caducis,
Vestigareqúe perditos, & ægros
Ad priscam reuocare sanitatem:
Nexos tartareis leuare vinclis:
Veram reddere mortuisqúe vitam.
Quocirca Galilæa rura vise,

Vade ad mœnia parua Nazarethæ.
Ibi claram atauis, genusq; regum
Non magna inuenies domo puellam
Votis aßiduißimè immorantem,
Primis cum vnguiculis mihi dicatam.
Hanc saluere iube, meisq; verbis
Parentem mihi spondeas futuram,
Expertem thalami, viro nec auctam.

G. *An tu quem reueretur omne cælum,*
Quem tot millia milliumq; adorant,
Cui SANCTVS sine fine duplicantq;,
Qui es quodcunque viget, quod & mouetur,
Huc te deijcies, puellæ vt vni
Ceu matri soboles subesse discas?
Vt te poßit obire venter arctus,
Qui stipas media, infera, & superna?

D. *Haud est quod minimum, facillimumq;*
Non sit omnipotentiæ. Tulisti
Iam nuper sterili nouum, bonumq;
Nuntium, pariet q; anus Prophetam.

G. *Rebecca, Elisabe, Anna, Sara testes*
Virtutisq; tuæ, tuiq; iuris:
Virginem generare, maius hoc est:
Maximum, generare numen ipsum.
Quî nam verò tuas puella flammas
(Nam ignis es) tolerare sustinebit?

D. *Puellam meus haud aduret ignis,*
Depascens licet esse dicar ignis,

II. Ad

II. Ad mortales denuntio.

Rerum nouarum, prosperarum, illustrium,
Percommodarum quos reficit auditio,
Huc aduolate, animisq́; sitientissimis
Bibitote res summè nouas, summè inclytas,
Summè vtiles, modisq́; multis prosperas,
Et queîs nihil mirum magis fieri queat.
Demissus è cælo iuuenis hominem supra
Decorus, & velamine nitens aureo,
Intrat pudicæ virginis penetralia,
Solusq́; solam affatus vt blandissimè,
Partu daturam firmat æternum Deum,
Tactus virilis nesciam penitissimè.
O nuntium terræ, polo, ipsis manibus
Gratissimum. Quid nuntietur faustius?
Habes quod exspectando quàm cupidissimè
Virgo gemebas, quodq́; tot suspiriis
Tueri auebas. En Dei delabitur
Compar parenti filius: aperi sinum,
Pande gremium, præpara vterum, venit Deus.
Tu nunc eris parens parentis omnium.
Tempus legebas affuturum quo sacer
Allapsus ora spiritus celsissima
Influeret aluum virginis lectissimæ,
Faceretq́; fœtam conditore protinus.
Ipsum hunc videre, matrem & ipsam cernere,
Felicem, & humanis solutam legibus,

Illius

Illius & dare osculum vestigijs
Totis auebas scilicet præcordijs,
Nec dum tua tibi nota erat felicitas.
Optare nunc iam desine, & aperi sinum,
Pande gremium, præpara vterum, venit Deus.
Tu nunc eris parens parentis omnium.

III. Eua, & Maria collatæ.

Mater prima hominum miserrima Eua.
Te propter morimur, doloribusque,
Et malis agitamur, heu trecentis,
Tuis pestiferum auribus venenum
Infudit malesuadus ille serpens.
Hic te ad exitium dedit, virumq;
Deceptum tibi, posterosq; cunctos.
O factum male, ô scelesté serpens.
Tu mater Maria es secunda nobis,
Felicißima quotquot aut fuerunt,
Aut sunt, aut alijs erunt in annis.
Per te viuimus atque liberamur
Malis omnimodis, bonisq; magnis,
Mansuris simul affatim beamur.
Tuis viuificam auribus salutem
Immisit Gabriel sacratus ales:
Hinc nobis data vita sempiterna.
O factum bene, ô canenda mater.

IV. Admirationes.

O Quale quale sacrum
Haruncce nuptiarum?
Sponsa est viden', puella,
Creator ipse sponsus,
Paranymphus angelusque.
Connubio quid isto
Diuinius reamur?
O collocutionem
Mysteriis refertam
Geniique, Virginisque.
Quid ni puella sancta,
Simillima angelorum
Vitaque moribusque,
Affatibus benignis,
Aspectibusq; gratis
Cælestium fruare?
Ni Virgo credidisses,
Dictisq; obediisses,
Disperderetur omnis
Summoq; iure mundus.
Quid hacce iudicetur
Auctoritate maius?
Quàm pauca, quam pudenter,
Grauiterque, prouideq;
Cum nuntio locuta es?
Modestiam, fidemq;

Obedientiamqúe
Tuam quis æstimabit?

V. Humilitas Mariæ, se Deo grauidam sentientis.

NVmen sacratum, optata terris gaudia,
Secreta quæ non nouerat, iam cœperat
Gestare sine onere venter almæ virginis.
Seruabat illa creditum tutißimè,
Sesequé tantis iudicans honoribus
Longè imparem, & miratione maxima
Defixa, secum agitabat hæc in pectore.
De matre Domini quid canant oracula,
Equidem scio: sed ego ne illa mater sim Dei?
Tantíne ego? nunquam: minima sum ancillula.
Sum grauida, sentio, tumet vterus, sentio:
Sed tactioni vix fidem, vix & oculis
Accommodo, præstantiam ob miraculi.
Ast facilè quodcunq; voluit Deus facit.
Quapropter ego tot antelata millibus?
Quid tantopere tibi placitum est in me Pater?
Mené tibi sponsam, me tuam puerperam?
Vt famula sim, non digna sum, & parens ero?

VISITA-

VISITATIO.

I. Ambulatio Mariæ Hierosolymam.

AGnatam Elisaben vt alma virgo
Defessam senio audijt solutam
Infœcundi vteri probro, atque prole
Concepta sterilem tumere ventrem,
Longum inuadit iter, videndæ anusq;
Prægnantis, studioq; gratulandi.
Cohors aligerûm it comes puellæ;
Ventorum furiæ repente ponunt,
Et leni Zephyrus susurrat aura.
Ridet lumine puriore cælum;
Quaqúe incedit, humus soluta flores
Summittit pedibus, crocosqúe spirat.
Blandum nubiuagæ canunt per agros:
Valles exiliunt, ouantqúe colles:
Pinus aeriæ caput remittunt.
Sed quæ gaudia tum fuere matrum,
Amplexus vbi mutuos dederunt,
Et labris sua labra compararunt?
Quàm suaues ibi redditæ loquelæ?
Spectando obstupuere templa diuûm.

II. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me?

QVi me creauit, quiq; verbo condidit
Hunc orbis ingentem globum,
Dominus meus Deusque, rector omnium
Te concupiuit, & tuam
Speciem adamauit, te sibi tabernaculum,
Matremq; legit virginem.
Tua id licet tacitum habeat summißio,
Noui tamen diuinitus.
Et signo idipsum comprobat certißimo
Quam ventre porto sarcinam.
Nam gestiens infans hilarulis motibus
Adesse clamitat Deum.
Domina igitur mea famulam quare tuam
Dignata es vltro visere?
Tu sacrosancto facta mater pneumate
Accedis ad me sordidam?
Quapropter hunc viæ laborem suscipis?
De te bene merui nihil.
Aetate ego, tu sed opibus longe es prior
Charismatum cælestium.
Haud digna sum aspectu tuo, nec quæ tua
Premam osculo vestigia.
Erat mearum partium ad te currere,
Tibiq; gratularier.

Habere

Habere te pro dignitate non queo,
Et hoc dolet cordi meo.
Nam post eum quem virgo fœcunda paries,
Nil vspiam te dignius.

III. Duarum matrum contemplatio.

O Matres geminæ, quibus sat ornem
Vosmet laudibus? ô colendam vtramque.
Quarum nulla pares videbit ætas.
Ambas nobilitat domus vetusta:
Dauidis genus ipsa Virgo, Aronis
Germen Elisabetha: baiulantque
Nostræ primitias salutis ambæ,
Præconem mulier, puella Regem.
Hæc ignara mariti: at illa demum
Pressa æuo, & sterilis: stupendum vtrunque.
Conceptum quoque & hunc, & alterum idem
Penniger cecinit volans ab alto.
Matres ô ter, & amplius beandæ,
Natos ô venerabiles daturæ.

PVERPERIVM APVD BETHLEEM.

I. Maria qualis, & quanta mater.

Tot myriades ô sidera incolentium,
Quibusque prognatis humo, patria hu- (mus est,
Mirabilem miremur hanc puerperam,
Amplis vehentes prædicationibus.
Vigor potens cuncta, vigor implens omnia,
Pudoris absque labe, & absque vi, sacrum
Descendit in vterum, pauescunt viscera,
Tremunt & artus numinis præsentia.
Innupta nupta, nec viro vnquam cognita,
Euadit en silente natura parens,
Editq; nullis puerulum obstetricibus,
Vacatque parturientium cruciatibus.
Omnino clausis atque virginalibus,
Non æstimando filium dat gaudio,
Dei & suum (clamate ter iô) filium.
Fluore lacteo sacra tument vbera,
Vbera puellæ cælitus scatentia.
A quo ipsa condita est prius, eum parturit,
Et quomodo libet, tractat auctorem omnium.

O singularis fœminæ sublimitas.
Tot myriades ô sidera incolentium,
Quibusq; prognatis humo, patria humus est,
Mirabilem miremur hanc puerperam.

II. Ad Genitricem, de eius officio.

QVod facis, puerum tuum,
Nec non & dominum tuum,
Sic fœno positum super
Procumbens venerare.
Vide vt cælituûm manus
Circumfusa, precatibus ⁂ precatus
Indulgens, puerum pijs
Gestibus veneratur.
Sufficit; manibus leua
Plorantem, gremio accipe,
Atque hinc officij tui
Imple sedula partes.
Stringe hunc fasciolis age,
Cantillans face dormiat,
Lactis fonticulum exhibe,
Iunge basia iunge.

III. Maria ad puerum modò genitum.

DIuinißime paruule, ipsa quo te
Vocem nomine congruenter, oro?

Dicam te ne hominem? at Dei propago es,
Et cum illo Deus vnus, ac perennis.
Dicam te ergo Deum? at figuram & artus
Humanos video. Quid incipiſſam?
Præſtabóne tibi vſitata matrum?
An te ancillá velut colam miniſtrans?
Te ne vt filiolum geram lacertis?
An ſupplex dominum vt meum rogabo?
Tuis vbera porrigamné labris?
An magis dabo ſuaue thymiama?
O myſteria comprehenſionem
Cuiuſque effugientia. O thronus cui
Cælum eſt, tu genibus meis ſedebis?

IV. Sympathia.

ARridet tibi paruulus,
Rides mutuò paruulo.
Blando lumine reſpicit,
Tu blandiſsima reſpicis.
O quæ gaudia cerno?
Ad te brachiolis modo
Extenſis tua ſtringere
Colla nititur, oſculum
Nunc ori roſeum applicat.
O quæ gaudia cerno?
Nunc manus teneras hians
Maternum inſerit in ſinum,
Vtque infantibus euenit,

Suas quærit alumnulas
O quæ gaudia cerno?
Interim tibi mens salit,
Et perfusa liquentibus
Corda lætitijs micant,
Vix temet capere es potis.
O quæ gaudia cerno?
Rores iam modò pectoris
Offers sedula, iam modò
Decoras genulas piè
Delibas labijs tuis.
O quæ gaudia cerno?

V. Virginitas, & Maternitas inuicem osculatæ sunt.

MAternitati, & Castimoniæ prius
Erat duellum acerrimum.
Vixêre discordes ab orbe condito,
Nec mutuùm placabiles.
Eas tamen restituit in concordiam,
Sanctoquè iunxit fœdere
Regina diuûm, dum pudoris integra
Fit mater admirabilis.
Nunc ergo charis lusitant amplexibus,
Reciprocantes oscula.
Quid Virgine ista apparuit fœcundius?
Quid hac parente castius?

LVSTRATIO.

I. Summissio Mariæ.

Q Vanquam es æthere purior,
Quanquam sole liquentior,
Quanquam candidior niue,
Nec piamine digna:
Tamen consule posteris,
Exemploq; tuo mone
Conseruare modestiam,
Qua gaudet Deus ipse.
Mens summissa tibi decus
Indelebile conferet.
Dies lustricus aduenit,
Lustranda ô pete templum.
Res angusta domi vetat
Balantem dare muneri.
Pende pende columbulos
Simplex eia columba.

II. Gratulatio.

R Vrsum gaudia, Diua, gaudeamus.
Hæc lux fert tibi proprios honores,
Dat nouam tibi claritudinemque:

Dum

Dum grandæuus, & inclytus sacerdos
Præsago canit ore te, tuumq́;
Quod pignus geris expianda tecum.
Nam palàm Deus esse nuntiatur
Nouella hæc soboles, & ipsa mater.
Ob os inde tuum suos cateruæ
Obuertunt oculos, nec intuendo
Explentur. Quis enim Dei parentem
Tanto lumine præditam iuuentæ,
Vultu sidera & ipsa prouocantem
Cernendo satur esse posit vnquam?

OBDORMITIO, ET IN CÆLVM profectio.

I. De morte Deiparæ.

Horam supremã nuntiauit Angelus,
Vt fas, sacratæ, credito te Virgini.
Nec talis illam territauit nuntius.
Tantũne? miris immò gauisa est modis,
Seseq́; decessuram amicis rettulit.
Quin obitus ipse vacuus à cruciamine,
Quies placidula, somnus & lenis fuit.
Adhæc Deus matrem propinquam funeri

Solatijs permulsit immortalibus.
O suaue lethum, ô fata quam rarißima.

II. Ad Virginem abituram.

PRudentißima Virgo, iam tibi sat
Abundè est oleo referta lampas,
Ardet flammigeraqúe luce lychnus,
Arsurus spatio perennitatis.
Tempus surgere, ferre & obuiam se
Sponso filio olympicas vocanti ad
Nuptias. Age iam vocata prodi,
Quotqúe es tot precibus precata semper,
Cum nato superas tenere sedes,
Inter gaudia terminanda nunquam,
Lubens læta cape. En habes paratos
Millenos comites, ducesq; fidos.
Alati iuuenes ruunt ab axe,
Exspectant dominæ emigrationem.
Ad sponsum ergo tuum beata mater
Matura properare, ne moreris.

III. Mariæ morituræ, & Ioannis extremus sermo.

FIli Ioannes omnium charißime,
Quem de cruce olim traditum voluit mihi
Tuus magister, filius & idem meus,
Quo sim statu aspicis, dies suprema me

Hinc

Hinc euocat, & artus relinquent ſpiritum.
I. *Maria mater, mater ô dulciſsima,*
Quam de cruce olim traditam voluit mihi
Meus magiſter, filius & idem tuus.
Inire te mortis equidem cerno vias,
Ob idq́; ſummis differor doloribus.
M. *Quin imperas doloribus, homo nata ſum,*
Mortalis ex mortalibus. Fui hactenus
In carcere, at nunc euolo è cuſtodia.
Vale memor mei, vale charum caput.
I. *Pœnas luant, qui digna pœnis factitant,*
Peccantibus ſtatuta mors tantummodo.
Sed ſic Deo viſum. Vale ô mater mea,
Meiq́; ne fueris apud Ieſum immemor.

IV. Maria ad IESVM filium.

EX hoc abibo prompta diuerſorio,
Quum ſic iubes mi nate, mi Deus. Precor
Tecum ſinas habitare me, vt vbi tu mea
Stirps viuis, ego viuam ſimul tua genitrix.
Mori lucrum eſt. Ad te venio, qui maximi
Miſſu parentis lapſus es in vterum meum,
Pendere nec mea horruiſti ad vbera.

IESVS ad matrem.

AMica mea, columba mea, ſponſa & parens,
Electa mea ſurge & veni, ô tandem veni.
Habere honorem iuſsi ego parentibus,

Seruabo quod iussi. Sedebis in throno
Ad dexteram meam, tuoq; vertici
Dabo coronam margaritis fulgidam.
Regnabis vnà sæculorum millibus.
Semper ministra mihi fuisti sedula:
Et quod homo sum, tu sola donasti mihi,
Tuis rependam præmium laboribus.
O tota pulchra, ô vacua labis aduola.
Te sole vestiam, angelos omnes supra
Teq; eueham, tibi populi vota facient.
Benedicta mea veni, iam hyems fera transiit,
Fugereq; niues, tegitur arbor frondibus,
Pinguntur horti floribus, vinetaq;
Reddunt odores vndique acceptissimos.
Surge propera dilecta mea, genitrix mea.

V. Apostolorum collacrymatio.

HEu quis casus atrocior,
Quod damnum exitiosius,
Quæ iactura nocentior,
Quæ clades lacrymosior,
Vllis contigit annis?
O grex mystice, quæ tibi
Hæc dies mala contulit,
Quæ tantam tenebris suis
Lucem occumbere compulit?
O nati sine matre.
Ah ah flebilis orbitas,

Matrem

Matrem perdere tam piam.
Paupertas miserabilis,
Quo nil diuitius magis
Thesauro spoliari.
Tu doctrix sapiens eras:
Tu rectrix vigilans eras:
Tecum noster honos abit:
Tecum deliciæ occidunt:
Tecum gaudia nostra.
Hem vita, hem decus, ergóne
Sic nos deseris orphanos?
Natus lumen erat tuus
Nobis, tute sed alterum,
Ah amisimus ambo.
Nunc quod linquitur vnicum,
Corpus spargere fletibus,
Membris oscula figere,
Membris virgineis, tibi
Præstamus peramanter.

ANGELI.

VI. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum suum?

QVænam quæ nouitas, quis iste splendor,
Qui vincit genus omne claritatis?
Quæ tam mirifica ista pulchritudo,

Cuè

Cui nulla æquiparanda pulchritudo est?
Venustatibus vt venusta cunctis?
Dilecti en humerum premit sinistra,
Inter se placidumq; colloquuntur,
Amplexusquè ferunt beatiores.
Curramus socij, deiq; sanctam
Cingamus, comitemur atque matrem.
Poscamus citharasq;, tibiasq;,
Et cantu aurea tecta compleamus.
Hæc nostra est hera, nostra & imperatrix.

VII. Diuorum triumphus in aduentu Mariæ resuscitatæ.

NOn tanta linguæ Tullianæ flumina,
Nec vena diues ita poëtarum Dei,
Vt assequi valeant triumphum nobilem,
Quem olim triumpharunt beati cælites,
Vbi rediuiua, artubus & induta roseis,
Per collum eburnum effusa crines aureos,
Palla coruscans aurea, & fragrantiam
Spargens Sabæam à filio Iesu suo
Deducta cælo est, regna ad illustrissima.
Cuncta resonare cantibus mellifluis.
Pars buccina raucùm strepere, pars tibia
Facere modos, percutere pars mollem chelyn,
Pulsare pars testudines doctissimas.
Hi se obuiam intranti ferunt, alij latus
Stipare gaudent: hinc & hinc assurgitur:

Aduertit ad ſeſe ora vultusq; omnium,
Tuendo inardeſcunt, cuncti quoque piè
Genuaq; ponunt, capitaq; inclinant ſua,
Heram ſalutant, obſequia ſua deferunt,

VIII. Maria S. Trinitatem adorans.

VEnerabilem natus parentem adduxerat
Ante ſolium regale, vbi diuinitas
Reſidens panomphæa triplici ſub nomine
Genitoris, & Geniti, & ſacrati Flaminis
Se perfruendam cælitibus attemperat.
Vt venit huc, ingens ſtupor eam percipit.
Quid ni, ter almi ad numinis præſentiam?
Prona cadit, & tollens manus, trinum vnicum
Colit Deum, ſic alloquens ipſum patrem.
Te laudo rerum conditor ſanctiſsime,
Cum mihi tuum gignere dediſti filium,
Sine principatu temporis tibi genitum,
Cui ſimiliter grates ago, cum ſe meo
Vtero latere voluit, vberaq; mea
Sugere puer, iuſſusq; noſtros exequi.
Te ſancte veneror Spiritus, cuius opere
Temerata nulli facta ſum mater Dei.
Faſtigio ſubuecta ſum quam altiſsimo,
Fatuq; difficilibus aucta honoribus,
Dignatus es quibus immerentem, ô mi Deus.

IX. Coronatio, & maiestas Mariæ.

HIs vocibus contra hasce voces rettulit
Paterq; Filiusq; , & amborum qui Amor.
Electa mea veni, nondum satis tuus
Conspicuus honor, eximia nondum gloria.
En accipe coronam in caput præfulgidam,
A sobole proximam tua sedem occupa;
Salomonis etenim vera veri mater es.
Aeterna cunctis iura tu mecum dabis.
Te superus omnis hicce mundus, & inferus
Reuerebitur, te supplicibus omnes loci
Votisq; donisq; vt patronam atq; dominam
Colent potentem, donec homines supererunt.

X. Veneratio Mariæ, super choros angelorum exaltatæ.

O Qualibus præconijs
Cælestium, terrestrium,
Silentiumq; Principem
Te magna mater efferam?
Cunctis es vna celsior,
Diuinitati proxima.
Tu Cherubin formosior:
Tu Seraphin illustrior.
Tu stella solem proferens,
Cælestium festiuitas.

Corona

Corona tute es aurea,
In qua facit gemmam Deus.
Tu prima suaue canticum
Modularis inter virgines,
Agniq; per vestigia
Tu dux es incedentium.
Veram videte Bethsaben,
Dextrà aßidentem filio.
Mater rogat quidquid lubet,
Præstat rogata filius.
Regina salue præpotens,
Nostrisqúe rebus consule.
Tuos ab alto mitius
Mundi sequestra respice.

FLORIDORVM
LIBER QVINTVS,
Qui & Secundus,

DE VIRGINE MATRE.

I. Appellationes.

Salue præsidium Maria nostrum.
Salue grandis honos, medela, virtus.
Salue Christiadûm, anchora, aura, portus.
Salue amplißima supplicum patrona.
Salue ô feste dies virûm piorum.
Salue lux hominumq́; luxq́; diuûm.
Salue commiserationis ô fons.
Salue delicium vtriusq; mundi.
Salue vno inferior tonante tantùm.
Salue omnes simul antegressa laudes.

II. Maria sibi Musa.

Luce ô lucidior, lapillulisq́;
Eois radiantior, coruscis

Poli lampadibus magis corusca,
Niue ô candidiorq́;, lilioq́;,
Argento simul, & simul ligustro,
Cygno, marmore, eburneisq́; signis.
O flores superans odore, & herbas,
Et vnguenta fragrantia, atque thura,
Decentissima sola fœminarum.
Fias Melpomene mihi necesse est,
Mihi labra riges tuisq́; lymphis,
Si te pro meritis cani expetiscis.

III. De innumeris eiusdem miraculis.

NOn tot flumina piscibus natantur,
Non tot aëra remigant volucres,
Non tot sylua feras, fauos tot Hybla,
Non tot Parthus habet ferox sagittas,
Non tot æquora fluctibus tumescunt,
Non tot spicea serta gestat æstas,
Non tot arboribus comæ virescunt,
Non tot robora mentibus creantur,
Non tot astra micant tacente nocte,
Quot exempla tuæ benignitatis
Humanum ingenus, in tuos clientes.

IV. Poëta Deiparæ.

AMo te mea vita, spes, salusq́;
Amo te mea sancta suauitudo.

Amo te mea certa liberatrix.
Amo te mea fida deprecatrix.
Amo te mea sospita, atque custos.

IV. Deipara Poëtæ.

AMo te mihi crebrà supplicantem
Amo te mihi temet offerentem.
Amo te studiosius me amantem.
Amo te veterem meumq; mysten.
Amo denique te meum Poetam.

V. Preces.

AVdi parens clementiæ,
Precationem sontium,
Quam condolentes affatim,
Et lacrymantes mittimus.
Quot habent arenas littora,
Tellure quot sunt gramina,
Guttas quot imber continet,
Quot sylua nutat frondibus,
Tot nos modis, eheu, tui
Decreta nati rupimus,
Tam multiformi crimine
Ah nosmet impiauimus.
Hinc ille quam iustißima
Incensus ira perfurit,
Contraq; multiformibus
Pœnis reos vlciscitur.

Qui

Qui iustus ergo irascitur,
Mitescat vt placabilis.
Qui non pepercit sontibus,
Bonus esto pœnitentibus.
Te interprete malis omnibus
Regina liberabimur.
Te sordidati quæsumus
Succurre perditissimis.

VI. Summa laudum.

TE cantare solent sacri Poëtæ,
Te tonant quoque Rhetores diserti,
Ore hi magniloquo, rotundo at illi,
Nec laudando queunt modum inuenire.
Ego te cano voculis duabus
Perquàm magnificeq́; , regieq́; ,
Ni sententia fallit, aut fefellit.
Mater altitonantis. *Hocce totum est,*
Quod nec plurima turba scriptitantum
Longis est potis explicare chartis.

VII. Maria dulcissima virgo, & honestissima mater.

QVid dulcius virginibus est tandem? nihil.
Quid matribus honoratius tandem? nihil.
Maria virgo, & omnium dux virginum,
Maria mater, & omnium matrum caput.
Hac ergo virgine nihil vnquam dulcius,
Hac matre nihil extabit vsquam honestius.

VIII. Carmen sæculare παρῳδικόν.

Mariæ sumus in fide
Puellæ & pueri integri.
Mariam pueri integri,
Puellæq; canamus.
O Maria ter optima,
Summi progenitrix Dei,
Quam mater sterilißima
Dextro numine fudit.
Tu præstantior omnibus,
Tu beatior omnibus:
Filio tibi proximos
Nam sacramus honores.
Tu virgo, domina, & parens,
Mundi & arbitra diceris:
Tibi posteritas tua
Fecit nomina mille.
Sis quocunque placet magis
Sancta nomine, filio &
Addictam, vt solita es, bona
Sospites ope gentem.

IX. In nomen Mariæ.

Nomen mellifluum MARIA, nomen
Scitum, suauiculum, elegans, rotundum,
Nomen lilia olens, & hortulorum
Omnes lætitiasq; , gratiasq;.

Nomen

Nomen dulcisonum, aureumq; prorsus,
Sanctitate, & amoribus refertum,
Castas lætificans, piasq; mentes.
Cunctis nomen amabilissimumq;,
Tonanti quibus est placere cordi,
Et quos lumine respicit fauenti,
Quem Maria hominem Deumq; fudit.

X. Hymnus.

FEsta matris Christiani,
Matris atque Virginis,
Cærimonia decenti,
Et sonoris cantibus
Euge sedulò colamus,
More auorum scilicet.
Vita mundi, lumen orbis,
Lumen immortalium,
Trinitatis grata sedes,
Aula sancti spiritus,
Prima gratiæ repertrix
O Maria diceris.
Antequam Deus locaret,
Orbis istanc machinam,
Te sibi delegit ipse
Præ puellis omnibus:
Et parentem nominauit
Exitu mirabili.
Non rigata, non arata
Terra frugem reddidit.

Quando virgo non marita
Germinasti filium.
Ima summis copulasti,
Fluxa cum manentibus.
Gloria & decus sit illi
Sempiterna in tempora,
Qui Mariam consecrauit
Tam nouis honoribus:
Nempe Patri, Filioque,
Et sacrato Flamini.

XI. Amor, & cultus Mariæ.

ILle ter felix pote nuncupari,
Qui tuam Virgo, ô bona Virgo prolem
Corde sincero colit, & flagranti
Ambit amore.
Ille mî felix etiam videtur,
Qui tibi tradit sua cuncta, teq;
Corde sincero colit, & flagranti
Ambit amore.
Tu meum pectus semel occupasti,
Me tui viuax edit ecce flamma.
Te colam donec mihi vita quondam
Liquerit artus.
Siue lux summos tenet orta montes,
Siue nox fusco parat ire curru,
Te voco semper sociam laborum
Rite meorum.

O meum

O meum tutamen, & aduocata,
O & adiutrix operum fidelis,
O meum, Mater, columen, mearum, ô
Gloria rerum.

XII. Salutationes.

AVe salutis ostium,
Speculumq; lucidißimum,
Viuens Dei palatium,
Tutela te colentium.
Aue fugatrix dæmonum,
Et mortis interemptio,
Tabula secunda naufragis,
Mater beatitudinis.
Aue rosa inter spinulas,
Rube incremate, ciuitas
Dei optimiqúe, & maximi,
Vellusq; Gedeonicum.
Aue cypresse, balsamum,
Electa myrrha, palmaqúe,
Et platane diffusißima, &
Oliua speciosißima.

XIII. Preces.

QVam multa nos ab vndique
Circumdedere incommoda?
Nemo potest euoluere
Queîs obruamur fluctibus.

Ad cuius ergo dexteram
Nos applicemus tutius?
Cuius fidem testabimur?
Quem sentiemus vindicem?
Te mater intactissima.
Defende, serua, libera,
Quibus piandis filius
Crudele fatum pertulit.
Nam quæ tua est benignitas,
Prodesse vis mortalibus:
Et quæ tua est potentia,
Nil machinaris irritum.
Solare mœstos blanditer,
Solamen ô mærentium.
Fessos leua laboribus,
Leuamen ô sudantium.
Miles vagatur impius,
Et arma nos circumsonant.
Annona non fit laxior,
Sæuitq; mors impunius.
Compesce Martem, & auream
Tranquillitatem suffice:
Morbos famemq; in efferos
Immitte Turcas obsecro.
Iactamur en erroribus,
Præpande nobis semitam.
Quod cernis, exules sumus,
Fac patriæ nos compotes.

Tu puri-

Tu puritate purior,
Nos inquinati sordibus.
Tua euge sanctimonia
Nostros reatus abluat.

XIV. De potentia Mariæ.

P*Apæ quis huius Virginis potentiam*
Seu mente secum consequatur cogitans,
Seu comprehendat paginarum millibus?
Lustrare quà terras nouus sol incipit,
Et quà color iam rebus esse desinit,
Tua populi venerantur omnes numina,
Placantq; donis te probatioribus,
Suæ salutis confitentes auspicem.
Qui congerere potest opes, & cui soli
Fertilis arantur vel trecenta iugera,
Ad templa tua fert ditiora munera.
Te pauper humiliore victima colit.
Quis pressus, oro, incommodis non ad tuam
Confugit opem? quis non timens hostilia
Tibi accidit? tu liberas ab hostibus.
Immaniore fractus ægritudine,
Te sospitante viuus & valens fuit.
Quid prædicem ereptos marino gurgite,
Dum fœdere tuo premis habenas flaminum,
Pacem procellis imperans frementibus?
Quis impeditus arduis negotiis
Monitu tuo non se expediuit dexterè?

Sint magna quamuis ordienda & aspera,
Fide tua freti, opibus innixi tuis
Vel maxima etiam audemus, atque asperrima.
Audis laborantes vocata puerperas,
Animamq́; reddis artubus frigentibus.
Quid denique soleas, quid & liceat tibi,
Tabella multa in ædibus pendens tuis
Quemcunque signis edocet notißimis.

XV. Hymnus in festos dies Mariæ.

O *Sola maior omnibus,*
Conceptu ab ipso sanctior,
In qua veteris haud extitit
Contagio piaculi.
Te nascituram Gabriel
Prædixit afflicto patri:
Quam venter Annæ perditè
Infructuosus extulit.
Te paruulam puellulam
Messem secundùm tertiam
Solymam parentes patrio
Duxere sacrandam Deo.
Stellata ab arce nuntius
Tuum in cubile mittitur.
Virumq́; passa neminem
Verbum paternum concipis.

Post

Post ista Bethlæ ad oppidum
Astricta nullis legibus,
Doloris expers, clausaq;
Rerum monarcham eniteris.
Succedis hinc templo, velut
Lustrationis indiga:
Illic & annis obsitus
Tibi futura præcinit.
Nexu leuata corporis
Ad astra tandem commigrans,
Poscendo nostram ibi vicem
Delicta mundi diluis.

XVI. In Mariomastigas.

QVæ vos Erinnys in rabiem agit incitos?
Quis hîc furor sceleris abundans plurimi?
Itane Dei, quæso, optimam atque maximam
Ausi parentem criminosis vocibus,
Et ore maledico palàm conscindere?
Vosné maculis nescio quibus dum viueret
Fœdè inquinatam fingitis? vosné similem
Vestris eandem vxorculis mentimini?
Omnes per annos nec pudorem creditis
Seruasse, mente & corpore integerrimam?
Abite abite in pestem, & in malam crucem:
Cerebro vacantes ite vos cucurbitæ,
Ventres edaces, dæmonum vaga pecora.

XVII. Preces.

DEuenire nos ad illum
Virgo per te fas siet,
Qua duce ad nos ipse venit,
Sæculorum conditor.
Perq; temet consequamur
Illius clementiam,
Qui per ipsam te subiuit
Sponte nostram miseriam.
Te per ipsam nos receptet,
Per quam eum nos cæpimus.
Tua apud illum integritasq;
Nostra minuat crimina,
Multitudinemque tollat
Copiosa charitas.
Eia fœcundos meritorum
Præstet tua fœcunditas.

XVIII. Admirabilitas Mariæ.

NAtura quod recusat,
Quod vsus ipse nescit,
Quod nulla mens prehendit,
Quod sidera obstupescunt,
Quod terra contremiscit,
Quod omnia reuerentur
Vis, Christiane, dicam?
VIRGO, DEIQVE MATER.

XIX. Maria

XIX. Maria auxiliatrix.

LAudes silete Virginis,
Quicunque duris casibus
Illius incassum fidem
Rogasse meministis probè.
Laudes sonate Virginis,
Quicunque duris casibus
Illius orantes fidem
Factos tenetis compotes.
At quæso quis mortalium,
Per iniquiora tempora
Ad tam benignam Virginem
Preces profudit irritas?
Commune asylum est omnium,
Et deiuuare non potest.
Ipsius illa mater est,
Qui diligit quos condidit.
Quapropter omnes Virginem
Laudate clementissimam:
Vobisq; centum guttura,
Centumq; linguas poscite.

XX. Vterus Mariæ.

ADeste quæso exercitus cælestium,
Terrestriumq; copia.
Cantemus vterum Virginis ter maximæ,
Ter nobili præconio.

Venter Mariæ hortus fuit pulcherrimus,
Multoqúe fragrantißimus.
Cuius rosarum flosculi bellißimi
Suprema castimonia.
Auxitq; odores, auxit elegantiam,
Quantum assequi nemo potest.
Nullis tacenda sæculis conceptio:
Concepit ipsummet Deum,
Nullo satu: ô fœcunditas sine socia,
O efferenda dignitas.
Paradisus ecce hic ipse germanißimus,
Labuntur ex quo flumina,
Vnde vniuersus orbis æternùm bibit,
Et irrigatur affatim.

XXI. Salutationes.

EGo te saluto plurimum,
Amicta sole fœmina,
Turtur, columba, & hortule,
Quem nulla conseuit manus.
Saluto te sexcenties,
O porta clausa Principi,
O mulierum fortißima,
O virginumq; gloria.
Ego te saluto plurimùm,
Cælestis aulæ ianua,
Cynosura nauigantium,
Secunda spes mortalium,

Apicu-

Apiculam te dixerim.
Res Veneris illæ nesciunt,
Et liberæ doloribus,
Cum melle fingunt cerulas:
Sic tu pudica permanens,
Nulliśq; prorsus nixibus
Verum & hominem, verum & Deum
Mater tulisti regia.

XXII. In hostes & obtrectatores Mariæ.

NAti gigantum, impia ferentes dogmata,
Calumnientur, obloquantur, oblatrent,
Apella torqueatur, & derideat,
Cultor deorum barbarus iniquè ferat,
Frendeat Erebus, vndiśq; terras misceat,
Nil virgine ista maius, excellentius,
Illustrius, præstantius, diuinius.

Ad misericordiæ matrem, pro Repub. Augustana.

COmmunis hera, communis ara gentium,
Et deprecatrix orbis vna & vrbium,
Augusta mater, en supinas tendimus
Ad te manus, damusq; dicta supplicum.
Sereno lumine hanc, precamur, aspice
Vrbis vetustam Romulæ coloniam.

Quid illa te, tecumq; progeniem tuam
Per templa votis poscat ardentißimis,
Scis ipsa, quam secunda sors, & altera
Non est latere poßit vt mortalium.
Augusta nostra augustior sit effice,
Amplißimis ornata rebus fulgeat.
Ah ne preces tibi ferentes abijce.
Dignare nos ope & opibus Virgo tuis,
Interq; multa ciuitatum millia,
Quas te magis certum est colere, nostram quoque
Numero aliquo tibi esse ne refugeris.
Regina regem affare, mater vnicum,
Priscamq; nobis impetra concordiam:
Sacris honorem, sospitatem curiæ,
Cuique pacis dona candidißima.

FLORI-

FLORIDORVM LIBER SEXTVS, Qui & Primus

SPONSALIVM.

D. Bernard. super Cant.

FRustra ad audiendum, legendúmue amoris carmen, qui non amat, accedit: quoniam omnino non poteſt capere ignitum eloquium, frigidum pectus. Quomodo enim græcè loquentem non intelligat, qui græcè nō nouit: nec latinè loquentem, qui latinus non eſt: ſic lingua amoris ei, qui non amat, barbara erit, ſicut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.

Origenes in eadem.

SIcut dicitur aliquis carnalis amor, quem & Cupidinem appellauerunt Poëtæ, secundùm quem qui amat, in carne ſeminat: ita eſt & quidam ſpiritalis amor, ſecundùm quem ille interior homo amans in ſpiritu ſeminat. Et vt euidentius dicam: ſi quis eſt qui portat adhuc imaginem terreni, ſecundum exteriorem hominem, agitur cupidine, & amore terreno. Qui verò portat imaginem cæleſtis, ſecudùm interiorem hominem, agitur cupidine & amore cæleſti. Amore autem & cupidine cęleſti agitur anima, cum perſpecta pulchritudine & decore verbi Dei, ſpeciem eius adamauerit, & ex ipſo telum quoddam, & vulnus amoris acceperit. Eſt enim verbum hoc imago, & ſplēdor Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ, in quo creata ſunt omnia, quæ in cælis ſunt, & quæ in terris, ſiue viſibilia, ſiue inuiſibilia. Igitur ſi quis potuerit capaci mente conijcere, & conſiderare horum omnium, quæ in ipſo creata ſunt decus, & ſpeciem, ipſa rerum venuſtate percuſſus, & ſplendoris magnificentia ceu iaculo (vt ait Propheta) electo terebratus, ſalutare ab ipſo vulnus accipiet, & beato igne amoris eius ardębit.

SPONSÆ

SPONSA SPONSO.

I. Osculetur me osculo oris sui.

IESVS me proprio osculetur ore.
Illum amo, vlteriusque amare tendo,
Nec mî sufficiunt trecenti amores:
Tantus ardor habet meas medullas,
Nec possum tacitas habere flammas.
Sub cælo sine te quid expetamus?
Et cælum sine te quid incolamus?
Tecum dummodo sim, benigne IESV,
Sim vel Sauromatas apud, Getasue,
Sim mari in medio, sim apud silentes.
Te vastus tremit orbis, ipsa rerum
Te natura stupens adorat omnis:
Vna ego ebria charitate multa,
Diuinis ego sauciata curis,
Istuc prætereo recogitare:
Atque ambage procul, procemioq́;
Rem magnam audeo postulare Magnum.
Amoris mihi crede, amoris, inquam,
Audentem iubet esse magnitudo.
Qui me luminis has vocasti ad oras,
Qui Sponsam tibi meq́; concupisti,
Qui solus satis es meoq́; cordi,
Da te, da mihi quæso mi creator,
Da te, da mihi Sponse mi fruendum.
O IESV in pelagus precor tuarum

Me tuam bone merge ſuauitatum.
Sit rex regibus expauendus ipſis,
Sit quantuſlibet ille præpotentum,
Non me colloquio, oſculoq; Sponſi,
Non amplexibus abſtrahet pudicis.
Ipſe prouocat, ipſe mandat, ipſe
Vult ſeſe oſcula ſanctiora poſci.
Ergo me ore ſuo ipſius oſculetur.
Ipſe, dicam iterando, me oſculetur.

SPONSVS SPONSAE.

II. Amica mea, ſoror mea, ſponſa mea.

SVnt tuæ, ô ſoror, ô amica, Sponſa,
Perceptæ mihi flagitationes.
Quod optas dabitur, fereſq; cuncta
Noſtro à numine prorſus impetrata.
Hæres viſceribus meis; fides te
Et virtus tua multa, magna, firma
Aſtrinxere mihi tenace vinclo.
Non quamuis animam rogare fas eſt
Complexuſq; meos, meum oſculumquе.
Odi gaudia vana perſequentes,
Rebus implicitas fluentibuſque.
Non non has thalamum ſubire noſtrum
Mos permiſerit vllus æquitatis.

SPONSA.

III. Vulnerata charitate ego sum.

NImis decorum credite
A charitate vulnus.
Alium Cupido sauciet
Suis malus sagittis.
Det alteri labentium
Vulnus cupido rerum.
At nos Dei blandißimas
Gustauimus sagittas.
Gustate vos illas quoque,
Optate vulnerari.
O sauciandum his arcubus
Vestrum datote pectus.
Nudate vos hisce iaculis,
Eat per ima vulnus.
Quid suauitatis non habent,
Non pulchritudinisqúe,
Accepta cælo vulnera,
Per charitatis arcum?
Inæstimabilis mihi
Decor Dei patescit,
Præstantiamq; Numinis
Quantum licet prehendo.
Flammatus hinc me rapit amor,
Quem nosco, concupisco.
Hoc est beatum, hoc inclytum
A charitate vulnus.

SPON-

SPONSA SPONSO.

IV. Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.

O Lux fulgidula effugans mearum
Noctem tristificam inscientiarum
O ignis facibus seuerioris
Mihi corda cupidinis perurens:
Ingens ô pietas, fouens, remulcens,
Et mentem bene roborans labantem,
Vincit omnia vestra dulcitudo,
Vestræ perlecebræq; gratiæqúe.
Vnguenta, vt reor, optimorum odorum
Dicentur nimis aptè, & eruditè.
Tali curram in odore, si trahas me.
Omnis copia narium mihi tu
Nate Virginis, arbiterq; mundi.
Quàm pulchre est mihi, quàm bene, ac beatè?
Nec pili facio creata quæque.
Tu fragrans satis es superq; solus,
Lutum cætera olent, vel vniuersa.
Nunquam fessáue, pœnitensúe nunquam
Tuis curram in odoribus per æuum.

SPONSA.

V. Ego dormio, & cor meum vigilat.

Turbas non probo non fero tumultus,
Non sum sollicitis amica curis,
Non possum strepitus pati molestos.
Hæc est illa quies mea, hic meusq́;
Quem dormire iuuabit vsque somnus.
Verùm mens animi sopore cassa est,
Vni perpetuo applicata IESV,
Vni tota vacansqúe, seruiensqúe.
Cum IESV exigo ludibunda soles.
Idem se mihi sæpe dormienti
Obiectans, hilari tuetur ore,
Mecum & saluificas serens loquelas
Solatur, monet, erudit, mouetq́;
Me sibi ad genus omne sanctitatis.
Quin cum membra iacent soluta somno,
Consuetas obeo precationes,
Consuetas sono cantibusq́; laudes,
Et cælestia iubilans reuoluo.
Nam cui quis studio obligatus hæret,
Aut in queis sumus ante commorati,
Quoq́; est mens operata diligenter,
In somnis agere illa met videmur.

ADOLESCENTVLAE AD SPONSAM.

VI. Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.

Quæ nos ceu pueras, alumnulasq́; puera
Vt nutrix alis, & parentis instar

Procuras

Procuras vigilanter, atque amanter,
O tuam pete parcius quietem,
Ne sic ne latebras sequare, neué
Pertendas ita publico carere,
Ne sic oscula quæritare Sponsi
Insistas, tibi cura parua nostri
Esse vt incipiat: satis dolenter
Istuc cernimus. Oh tuis egemus
Exemplis, tua & eruditione.
Ista lacte velut probè educamur,
Nos illa ambrosio trahunt odore.
Hinc nos turpificas iubemus ire
In malum exitium, in malamq; pestem
Omnes delicias, quibus liquore
Pronuper quasi Bacchico ebriosæ
Ferebamur. Habent salubriores
Tuæ delicias profectò mammæ.

SPONSVS ADOLESCENTVLIS.

VII. Adiuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis dilectam, donec ipsa velit.

EN dilecta quiescit, en abiuit
Tota à sensibus, & superna secum
Attento speculata cogitatu
Lætatur penitißimis medullis.
Puellæ comites cauete nostram
Suscitare, vetante me, sororem.

Factum hoc quippe ſiniſtrum, & inuenuſtum
Foret, cum domino ſuo loquentem,
Quin cum rege ſuoq; conferentem
Quamuis ſeria, plena ponderisq;,
Ipſo rege negante præpedire,
Atque auellere cum pudore nullo.
Quanto hoc improbius decet videri,
Cum regum domino, ac parente diuûm
Coniunctam meditatione ſancta,
Deuinctam ſpeculatibusq; caſtis
Perturbare? Igitur cauete, mando,
Expergefacere hanc meam columbam.

CHORI DVO.

SPONSI SODALES, SIVE ANGELI.

IESVS voluptas vnica
Integriorum mentium,
Spes tuta, lux, ſolatium,
Perennis & cuſtodia.
Frequens Ieſu memoria
Frequentia parit gaudia:
Sed melle dulci dulcior
Illius eſt coniunctio.

ADOLESCENTVLAE SODALES SPONSAE.

Quid cogitetur ſuauius,
Quid efferatur blandius,

Quid insonet iucundius,
Quàm Patris almi filius?
Vox nulla declarauerit,
Nec vlla signa panderint:
Norunt amantes quale sit
Diutnitate perfrui.

SPONSA.

VIII. In lectulo meo per noctem quæsiui, quem diligit anima mea: quæsiui, & non inueni.

O Lim iam mea mens caduca mundi,
Omnes illecebrasq; inanitatum,
Quidquid suspicit, appetitq; vulgus,
Auersas ratione motiones
In malum cruciatum abire iussit.
Hic mî lectulus est quasi apparatus,
In quo somniculum capesso quendam,
Et parta est requies secunda nobis.
Sed solaminibus carere Sponsi,
Fraudari facie, & locutione
Non possum: tenebris nigresco tota.
Mœstis mordeor, obruorq; curis,
Nil est me aridiusq; fractiusq;.
Ergo noctibus hisce quæritaui,
Cuius me immodici tenent amores.
Formosissimus est, amabilisq;
Supra quam memorare sermo posit,

Nec quantum ipsus amat potest amari.
Sed quem quærito, quæritaui, eundem
Nusquam est, prô dolor, inuenire, nusquam.
Quem ad finem miseranda quæritabo?
O quando reperire te licebit,
O vita, ô mea vita, mel, voluptas,

IX. Num quem diligit anima mea vidistis?

O Sponsi comites, satellitesq;
Sancti cælicolæ cohors verenda,
Quibus me esse scio, & fuisse cordi,
Mecum, amabo, meos dolete casus,
Et si qua est via, perditam adiuuate.
Heu quem plus oculis amo atque, amaui,
Quonam nescio clanculum recessit.
Hunc quæsiuimus omnibus plateis,
Hunc quæsiuimus omnibusq; vicis,
Per vrbem, per agros, per angulosq;:
Nec sese tulit obuium vspiam, heu heu.
Non vidistis eum? rogo indicate,
Atque angore meum leuate pectus.
O desiderium meum, ô meum cor,
Qua tandem regione te requiram?

X. Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectũ meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo.

PRædulces animæ, piæ sorores,
Meam noscite postulationem,
Hoc vos ô sociæ volo rogatas,
Si dilectum eritis meum assecutæ,
Votis sollicitate duplicatis,
Vt se reddere ne mihi grauetur,
Abs quo vitam agitare mortis instar.
Queîs languoribus eius ex amore
Sim peresa simulq; nuntiate.
Mens percussa mihi velut sagitta est:
Cor depascitur insolente flamma:
Nec sensum queo celitare nostrum.
Hinc genas mihi pallor inuolauit:
Flendo hinc sæpe mei rubent ocelli:
Serpit debilitas per omne corpus:
Et suspiria crebrius trahuntur.
Tantum castifici valent amores.
Iesu langueo amore, & ille puri
Magister sapiens amoris ipse est,
Cui nostri manifesta vis caloris,
Quales progeneret molestiasq;
Suo vel modicum carere amato.
Quapropter precibus rogate Sponsum,
Ad me præcipitans moras reuisat.
Destituta macesco, consenesco.

ADOLESCENTVLAE AD SPONSAM.

XI, Quò

XI. Quò abijt dilectus tuus? ô pulcherrima mulierum.

O Virgo ſpecioſa ter quaterqúe,
Formoſiſsima virginumq́; virgo:
Hoc formoſa magis, mage & canenda,
Quo Ieſu amplius implicata amore.
Quo fugiſſe bonum arbitrare Sponſum?
Hem quibus latebris latebit ille,
Quem ſic diligis impotente amore?

SPONSA ADOLESCENTVLIS.

Quæſiui, & non inueni: vocaui, & non reſpondit mihi.

SVm laſſata labore quæritandi,
Raucuit mea voxq́; clamitando.
Quæſiui, potui nec inuenire,
Vocaui, retulêre ſaxa vocem.
Ah verba, ah mea diſtulere venti.
Quid nunc me faciam, quid ordiarúe?

ADOLESCENTVLAE AD SPONSAM.

Quò declinauit dilectus tuus? & quæremus illum tecum.

TE indagando iuuabimus fideles.
Stat ſententia permeare tecum

Valles, oppida, castra, rura, montes.
Tecum sustinuisse duriora,
Iucundissimus omnium laborum.

SPONSA.

XII. Inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.

MAter suum pusillum
Tempusculo relinquit.
Vestigat ille plorans
Absconditam parentem,
Ad eamq; cursitare,
Eiq; adhæsitare
Ardentiore deinceps
Affectione discit.
Sic Sponsus ille noster
Dum paululum recedit,
Solamq; me relinquit,
Gemendo, lacrymando,
Plus expetendo plusque
Tandem mihi est repertus.
Videbat inquietam,
Videbat eiulantem,
Videbat anxiamque
Sine fine quæritantem
Castissimo ex amore,
Plenissimo ex amore.
Quapropter est misertus,

Mihiq;

Mihiq́; restitutus.
Teneo hunc, & hunc tenebo
Arctissimoq́; nexu,
Adamantinoq́; vinclo.
Deus est meus, meusq́;
Saluator, omnibusq́;
Est iure præferendus.
Manebit ille apud me,
Apud eum ego manebo.
Me nullus appetitus,
Tentatioq́; nulla,
Sub sole res nec vlla
Sponso à meo reuellet.

SPONSA SPONSO.

XIII. Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat?

SVblimius nostro genere factum est nihil,
Deus ipse postquam factus est humillimus.
Descendit ille propter hominem ad infima,
Ascendit homo vicissim ad excelsissima.
Quem seiugatæ à mistione corporum,
Celerrimæq́; mentium comprendere
Minimè queunt, reuerentur & adorant, meum
Dominum atque conditorem, & arbitrum simul,
Fratrem vocare liberè permittitur.

Permittit istuc eius immensa pietas,
Et nescia modum ponere sibi charitas.
Mi frater itaque, mi Deus, Iesu bone,
Qui lacte vixti virginis purißimo,
Quam matris in loco veneror, ac diligo,
Obsecro, sine vt etiam foris te reperiam,
Negotijsq; negotiosa quamlibet
Nunquam tui non meminerim, te quoque velut
Coram intuear, & flammulis semper tuis
Crepitet foculus interior. Haud quidquam queat
Hunc pectoris statum mei conuellere,
Seu membra dapibus foueo, seu finio sitim,
Seu quid laboris facio, seu sermonibus
Me dedo mutuis, quies seu me premat,
Absens vti præsens tibi aßiduò siem:
Noctes diesq; diligam, & desiderem,
Te somniem, teq; maneam, te cogitem,
Te sperem, & ex te gaudium faciam mihi.
Tu mecum, ego tecum: nihil me separet
Amplexibus precor tuis, te reperiam,
Contempler atque admirer, & colam omnibus
In rebus ad sensus meos manantibus.
In floribus, in herbis, in arboribus, agris,
Pratisque, uineisque, fluuijs, nemoribus,
In montibus, pellucidisq; fontibus,
Tellureq; vaga, & fluctibus spumantibus,
Auris & æthereis, & astrorum ignibus,
Et sæculis ferarum. In his cunctis ego

Te diligam, te admirer, atque exosculer,
Mediisq; te complectar in præcordiis.
Hinc nemo me mortalum, immortalium
Sponsam minus fidam tibi coarguet:
Me faxo nullus audeat contemnere,
Si tot fuero tecum implicata vinculis.

CHORI.

ANGELI.

CVr fluxa rerum quæritis
Vesana gens mortalium?
Cur improbis laboribus
Nil profutura discitis?

ADOLESCENTVLAE.

Iesus amor dulcissimus,
Et omnium castissimus.
Iesus amor tutissimus,
Et omnium lætissimus.

ANGELI.

Iesum lubentes quærite,
Iesum lubentes discite:
Vobis sit instar omnium,
Per quem cohærent omnia.

ADOLESCENTVLAE.

Potus cibusq; noster est,
Quies, labor, securitas,
Virtus, honos, felicitas,
Et copiarum copia.

ANGELI.

Illis nihil felicius
Sedem Deo qui præparant.
O expetenda societas
Omni carens fastidio.

ADOLESCENTVLAE.

Magis magisq; vulneret
Tua nos Iesu charitas.
Te non amare perpetim
Maius malis est vltimis.

SPONSVS SPONSAE.

XIV. Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es?

TEcum maxima nata pulchritudo,
Miro sideribus decore præstas.
Ter almæ triados tu imago vera,
Vnam habens animam vnicamq; tantum,
Triplex quam sibi vendicat potestas.
Magnum est percipere atque velle, magnum est
Tot rerum meminisse, tamdiuque.
Mens viget sapientia, voluntas
Flammulis flagrat vtriusque amoris.
Non es sordibus inquinata fœdis

Praua-

Prauarum, mea Sponsa, motionum.
Refrænare libidinesq; nosti,
Incessusq; tuus, tuusquẽ vultus,
Nec non & tua dicta, facta, sensa
Virtutum proba signa sunt tuarum.
Non viuis modò tu, sed ipse pro te
Viuo, sum tua vita spiritusquẽ.
Sic pulcherrima es vndecunque, & omni
Quam dignißima prædicatione.

SPONSA.

XV. Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est.

MEl est amaritudo,
In sacchars est venenum.
Merum merum est acetum.
Mœstũm canunt volucres.
Vlulat & ipsa Siren,
Strident ineptà nerui,
Nil dulce, nil suaue,
Ad non tacenda Sponsi
Si dicta comparetur.
Dulcißimæ loquelæ,
Suauißimæquẽ voces
Quas promit ore IESVS.
Siue audio loquentem,
Siue eius è libellis,
Siue eius è cathedra

Effata disco, semper
Calesco tota, totis
Resoluor & medullis,
Ceræ instar & liquesco.
Valete iam Sophorum
Ratiocinationes.
Valete rhetorumqúe
Cincinnuli, atque fuci.
Valete stulta vatum
Commenta, nil moror vos.
De cætero eia vestras
Alijs opiniones
Narrate fabulasqúe.

SPONSVS SPONSAE.

XVI. Fauus distillans labia tua sponsa: mel & lac sub lingua tua.

QVotquot verba cadunt tuis labellis,
Nil his suauiloquentius videtur.
Lactis atque faui os tuum scatebræ,
Seu me carminibus piè celebres;
Seu tuas fateare lapsiones:
Seu grates mihi debitas loquare:
Seu te ipsam abijciasqúe, despuasq;;
Seu mirere meum, colasq; numen;
Seu quocunq; alio modo viaqúe,
Vt mos est tibi, fabulere mecum,

SPONSVS SPONSAE.

XVII. Vulneraſti cor meum ſoror mea, ſponſa, vulneraſti cor meum.

QVod vulnus mea mî ſoror dediſti?
Quod vulnus mea Sponſa mî obtuliſti?
O quantum mea corda ſauciaſti?
Tui immenſus, inexplicabilisq́;
Me transfixit amor, tibi relicta
Maieſtate mea, throno meoq́ue
Deſcendi pius has ad vsque valles,
Humano ſimile induiq́ue corpus.
Hinc te nominito meam ſororem.
Dein' immania plura propter ipſam
Temet perpetiens, necemq́ue ſæuam,
Redemi pretio nec eloquendo,
Perlauiq́ue meo cruore quondam,
Et Sponſam mihi idoneam paraui.
Tali quid rogo charitate maius?
Quid te nobilius, beatiusúe?

IDEM.

XVIII. Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.

FAc ſoror mea ſis memor per omnem
Aetatem, quid ego libens & vltro,

Et quantum tulerim tui ex amore:
Pœnas multigenas, nimisqúe diras,
Necem turpificam, nimisq; sæuam.
Isthæc volue, reuolue continenter,
Armillæ tibi, symbolumq; sunto.
Non secus meditatione sola
Per præcordia suscita dolorem,
Quam si lumina me tua inter ipsa
Viderent cruciamina, atque ab alta
Pendentem lacerum trabe, inter ipsos
Ceu parem scelere impio latrones.

SPONSA SPONSO.

XIX. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur.

MEum ob caput nefanda
Quæcunque pertulisti:
Iesu tuos labores,
Iesu tuos dolores,
Ceu fasce colligatos
Condamqúe condidiqúe
In pectoris recessu.
Solerter ista mecum
Perscrutor & voluto.
Libenter ista canto,
Libenter ista narro,
Libenter ista scribo,

Libenter

Libenter iſta pingo.
Quî ſæpe non recorder,
Quî poßit excidiſſe,
Mala quæ puellus infans
Es perpeti coactus?
Quî ſæpe non recorder,
Per viculos, & vrbes
Docendo dum vagaris,
Erroneam requirens
Ouem, tuos labores
Moleſtiasq; longas?
Quî ſæpe non recorder
Frigus, famem, calorem,
Inſomniam, dolosq;
Tibi peßimè volentûm?
Quî ſæpe non recorder
Heu tot periculorum,
Heu lacrymationum,
Heu contumeliarum?
Quî ſæpe non recorder
Opprobria, & flagella,
Nefarios cachinnos,
Et verberationes?
Quî ſæpe non recorder
Sannasq;, purpuramqúe,
Et ſputa cum corona,
Mortemq; deſpicatam?
Vitalis aura donec

Me pauerit, tuorum
Non immemor dolorum
Manebo. In omne sæclum
Altißimè reposta
Præcordijs latebunt
Tua hæc inusitatæ
Monumenta charitatis.

AD EVNDEM.

XX. Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.

Seu terram pedibus meis,
Seu remis mare carpsero,
Quo me cunque vocauerit
Importuna neceßitas,
Vbicunque quieuero,
Et quæcunque peregero,
Tu mecum proficiscere,
Tu me desere neutiquam,
Deuotam penitus tibi,
Dignatam & thalamo tuo.
Quo me haud dignor honore.

SPONSVS AD SODALES.

XXI. Sicut lilium inter spinas: sic amica mea inter filias.

QVid vos ô socij, quid æstimatis?
Multis virginibus quam ego libenter
Prætuli, thalamoq; destinaui,
Cuinam dicitis esse comparandum?

SODALES AD SPONSVM.

Lilium velut enitescit inter
Sentes vulnificos, supraq; longè
Effert albicomum caput, suaq;
Vernanti specie, atque odore vepres
Millibus superauerit trecentis:
Sic quæ chara tibi, magisq; cordi est,
Tui feruidulum gerens amorem,
Et digna in thalamum tuum venire,
Inter improbulas micat puellas,
Quas pungunt vitia, & leues cruentant:
Quaq; rursum alios sat impudenter
Cum sua vitiositate pungunt.

SPONSA ADOLESCENTVLIS.

XXII. Sicut malus inter ligna sylua-
rum: sic dilectus meus inter
filios.

QVid vos ô sociæ, quid æstimatis?
Multis millibus ipsa quem præcepto,
Dilectumq; meum, meumq; sponsum
Cui nam dicitis esse comparandum?

ADO-

ADOLESCENTVLAE AD SPONSAM.

Syluarum in medio, arbores vt inter
Mille infrugiferas, inutilesq́;
Malus eminet elegantiaqúe
Fœtuq́; haud numerando, odore, gustu:
Sic Sponsus tuus ille vincit omnes
Mortales, vt agrestiora ligna.
Solus poma dat ipse, habetq́; solus.

SPONSA SPONSO.

XXIII. Sub vmbra illius quem desideraueram sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.

SVb tegmine huius arboris quietem ago.
Iesu sub vmbra capto opaca frigora.
Affectionum pello sic æstus graues;
Cupidinum defendo sic incendia.
Tuere me Iesu bone sub alis tuis.
Tua sub vmbra confidentem protege
Contra meorum impreßiones hostium,
Ab inferis sese specubus agentium.
Securitate ipsamet ero securior,
Si me iuues, & si meo fructus tuos
Iterum iterum gustatui concesseris,
Sapidißimos, & fructuum dulcißimos.
Nam quicquid est virtutis in me candidæ,
Omnis mea sapientia, & merita omnia,
Meum in sinum ramis ab hisce defluunt.

CHORI.

ANGELI.

REx noster astris pulchrior,
Et balsamo spirantior,
Scito sapore sapidior,
Et barbito iucundior.
Est ductor ambulantium,
Portusq; nauigantium:
Salus quibusq; perditis
Quot sunt, fuerunt, quotq; erunt.

ADOLESCENTVLAE.

O amplius sexcenties
Beatus ille qui Deum
Amare nouit intimè,
Illumq; præter nil amat.
Amemus hunc medullitus,
Quo nil amari dignius.
O nostri amores ipsius,
Amoribus respondeant.

SPONSA.

XXIV. Dilectus meus mihi, & ego illi: qui pascitur inter lilia.

NEc silere, nec expedire verbis
Sat possum, mea mens quod experitur.
Dilectus mihi, ego vicissim eidem.

Hoc

Hoc quid sit rogitatis? est amoris
Plenum mutui, & omnibus refertum
Simul blanditijs, leporibusque,
Simul delicijsq; gaudijsque,
Suauitate, & amœnitate multa.
In me totus, egoq; tota in illo.
Hoc tantum breuiter queo profari
De nostra tibi copulatione,
Per te cætera tute cogitabis.
Ast nil mundius est pudiciusq;
Quam dixi modo copulatione.
Sponsus namque meus quiesse gaudet
Inter lilia, flosculosq; puros.
Quare quisquis ab hoc studes amari,
Nil cum rebus habe libidinosis,
Neu corpusq; animumq; prouocatus
Lusu pollue lacrymis piando.

XXV. Colloquium Adolescentularum, & Sponsæ, super illo, Dilectus meus mihi, &c.

DOctrix nostra, eademq; nostra rectrix.
Et dux fida, eademq; chara mater,
Quid hoc quæsumus est quod ore blando,
Vt nunquam magis, altiore voce,
Ac dulci nimium sono profantem
Exaudiuimus? Hem quid est quod inquis?
Dilectus tuus ô tibi quid, illi
Quid tu? obscurior iste sermo nobis.

S. Dulces

S. *Dulces discipulæq;, filiæq;,*
Et meæ comites rogatis istuc?
Non vobis similis mihiq; sensus,
Non mens est paribus referta rebus.
Inde est quod mea verba tectiora
Vt sint discupitis patentiora.
A. *Ergo ô sancta anima, ô Deiq; sponsa,*
Dic, quidnam tuus ille quid tibi, quid
Tu illi? mutua quæ necessitudo
Inter vos adeò viget stupenda?
Quænam est ista reciprocatioq;
Tam mirabilis, ante visa nunquam?
Tibi ille. Ergo quid? ipsa ei vicissim.
Quid tandem? Ecquid idem tibi, quod illi
Tute? an verò aliud: refer, precamur,
Ne nos, ô pia, differas rogantes.
S. *Affectus meus hos sonos profudit.*
Nam sermone mei remulsa sponsi,
Modis mirificisq;, & explicatu
Arduis recreata, postquam abiuit,
Nec vocem potui tenere, nec quid
Sensissem appositis referre dictis.
Sunt affectibus & suæ loquelæ,
Sunt & indubitata signa, per quæ
Monstrantur. Trepida est pauentium vox,
Auditur gemebunda vox dolentum,
Auditur bene læta vox amantum.
Et flagrans amor, impotensq; Iesu

Dum

Dum ſeſe cohibere neſcit intus,
Ebullitq́ue foras, nihilq; penſi
Habet, qua ſerie, quibusq;, quamq;
Multa fas ſiet edidiſſe verba.
Quin verbis quoque vocibusq; ſæpe
Nullis indiget, ac profunda ſolum
Per ſuſpiria, lacrymásq; claret.
Quare ego eximium, nimisq; magnum
Meo in pectore ſentiens amorem,
Sanctum, iuſtificum, beatum amorem,
Reſpiro modicum, loquens, & ipſum
Quid aut quale ſit, haud laboro ſanè.

SPONSA.

XXVI. Fortis eſt vt mors dilectio.

ET mobilis, & inſtrenua,
Fugiens moleſtiarum,
Sitiens voluptatis ſuæ
Affectio eſt amantum,
Dum corpori ſolubile
Hærere corpus inſtat.
Sed fortior, conſtantior,
Feruentiorq; longè,
Procliuis ad quæque grauia
Exhaurienda ſemper,
Amor beatis ſedibus
Demiſſus has in oras.
Deum anteponit omnibus,
Quæ ſunt creata cunque.

Pro quo mori trecenties
Nec paululùm timeſcit,
Haud molle fatu perpeti
Quid hic, putas, recuſet?
Amantium ardenter Deum
O fortitudo ſalue.

SPONSA SPONSO.

XXVII. Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum.

MI dilecte, meam petitionem
Ne contemptam habeas. Precor pudenter.
In tuum ſemel hortulum venito,
Menti illabere quam ipſe fabricaſti.
Is hortus tuus eſt, in hunc venito:
Colluſtra hunc radijs tuis, tuaq;
Sol clariſsime claritate veſti.
Hunc totum arripias tibi licebit.
Communi, tege, redde cultiorem,
Ornatumquè magis, malas & herbas
Ab radicibus vſque vellicato.
Scatentiſsime fontium, tuis hunc
Oro ne fugias rigare lymphis:
Halantum & genus euocare florum,
Fructus omnimodos & excitare.
Quin dignare tua eſitare poma,

Quæ tumet mihi contulisti, & ipsis
In tuis tibi complacere donis.

SPONSVS SPONSAE.

XXVII. Veni in hortum meum soror mea, Sponsa.

HEm Virgo mea, quod tuos in hortos
Me venire cupis tua atque poma
Dugustare, ego te meos in hortos
Inuito potius, feraciores,
Rebus omnigenis refertiores.
Quidquid dulce potest, imaginare.
Quidquid magnificumquè, commodumquè,
Quidquid eximium, decens, venustum,
Quidquid omnimodisq; persequendum,
Et quidquid pretium antecellit omne,
Id totum meus exhibebit hortus,
Cunctis efficiet bonis beatam.
Nec pudor subeat venire non te
Ancillam voco, sed voco sororem.
Quin quod suauius est, voco ecce Sponsam.
Et virtus, & amor viam præibunt.
Veni ô Sponsa, meisq; perfruare
Tot bonis quasi propriis, tuæ sunt
Opes namque meæ, & tuæ meæ sunt.

SPON-

SPONSVS OMNIBVS SVI AMANTIBVS.

XXIX. Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.

Dvlces amiculi, fideles animulæ,
Venas per imas vulneratæ amoribus,
Adeste, nostris & epulis accumbite.
Comedite largiter, bibiteq; auariter.
Quæ dona vobis confero, quæ conferam,
Vestram ad salutem plurimum valentia,
In vos meæ pietatis & abundantia,
Si intelligatis, mensa constructissima est.

SPONSVS SPONSAE.

XXX. Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.

Qvid soror mea, quid columba, quid tu
Tetro in carcere tamdiu moraris?
Tené istis adeò iuuat teneri
Vinctam compedibus? laboriosa est,
Aerumnis cumulata, casibusq;
Quos nulla enumerare lingua possit,
Et mors verius ipsa nuncupanda
Quam viuunt homines, trahuntq; vitam.

Apud

Apud me meliorque, tutiorque
Vita degitur, omnium malorum
Expers funditus, atque sempiternis
Diues delicijs beatitatum:
Quas nullus pote contigisse sensus,
Nec mens quamlibet ampla continebit.
Huc gressus igitur citatiores,
Huc huc flecte viam, ô amica, Sponsa.
Iam pridem ad thalamos tibi paratos,
Ad connubia læta transuolato.
Quid soror mea, quid columba, quid tu
Tetro in carcere tamdiu moraris?

ADOLESCENTVLAE AD DESERTRICEM.

XXXI. Reuertere reuertere Sunamitis, reuertere reuertere, vt intueamur te.

TE mystici ius perfidam connubij
Temerasse, & euasisse mœcham cernimus.
A spiritalibus bonis ad corporum
Spurcas voluptates miserrima mulier
Præceps abisti, amplexa pro cælestibus
Terrena, pro Deo marito adulteros.
Hoc est dolore corda quod nostra cumulat.
Sed si quis est monitis locus, siue precibus,
Quam prodidisti denuò præsta fidem,
Factiq; pœnitens redi ad sponsum tuum.

Pone vitia, eluce maculas quibus animam
Fœdißimè infectam geris. Rursum incipe
Sacrare mentem affectibus liquidißimis,
Et ore sancto verba sancta proloqui,
Studereq; pijs semper actionibus.
Haud te reuersam Sponsus aspernabitur.
Nos gratulantibus oculis sociam vt prius
Spectabimus, iam desitam spectarier:
Amabimus, palamq; collaudabimus.

CHORI.

ANGELI.

PVellæ Iesu amabiles,
Quæ vos tenet dilectio,
Strictis resistat ensibus,
Nullum timescat impetum.

ADOLESCENTVLAE.

Queis maceramur flammulis,
Nec ipse Nilus opprimat.
Quibus calemus ignibus,
Nec ipse pontus obruat.

ANGELI.

Pulcherrimus, ditißimus,
Longequé nobilißimus,
Verè monarcha maximus
Dei quem amatis filius.

ADOLESCENTVLAE.

IESVS mea est poßeßio,

Formositas, & claritas:
Iesus mea est potentia,
In hoc mihi sunt omnia.

ANGELI.

Repertor est clementiæ,
Cui nemo frustra supplicat:
Eiusque misericordiam
Nullus coërcet terminus.

ADOLESCENTVLAE.

Quicunque Iesum diligunt,
Peccare quid sit nesciunt.
Quicunque Iesum diligunt,
Nec occidentes occidunt.

ANGELI.

Quidquid mouetur, & viget,
Cum Patre Iesus condidit:
Et is dat vnus gloriam,
Vnus beatitudinem.

ADOLESCENTVLAE.

Vocauimus te millies,
O quando dilecte venies?
Iam nos tui nimis ab diu
Fatigat exspectatio.
Adesto iam charissime,
Iesu veni suauissime.
Te noster vsque floridus
Suspirat ecce lectulus.

FLORIDORVM

LIBER SEPTIMVS, Qui & Secundus *SPONSALIVM.*

IN SANCTISSIMAM EVCHAristiam, diuini amoris alimentum.

I.

Figuræ, dignitas, effectus.

SPONSA.

Esca dulcis, esca læta
Venit ad nos cælitus.
Panis almus angelorum
Fit cibus mortalium.
Panis hic est filiorum,
Gaudeamus intimè.
Manna verum, manna sanctum
Venit ad nos cælitus.
Venit agnus Pascha verum,

Vmbra cedit lumini.
Manna & agno victitantes
Gaudeamus intimè.
Rex potens Asuerus ille
Ornat en conuiuium
Splendideq; ac sumptuosè
Omnibus communiter.
Hîc edentes, hîc bibentes
Gaudeamus intimè.
Mensa Regum nil ad istuc
Ferculorum ferculum.
Carne Christi quid potestis
Inuenire dignius?
Hac famem soluisse fas est,
Gaudeamus intimè.
Vita mundi panis iste,
Fortitudo imbellium,
Et medela morbidorum,
Et triumphus sospitum.
Dux oberrantum fidelis.
Gaudeamus intimè.
Hic dator solatiorum
Rebus in contrarijs,
Perduellium fugator,
Terror, horror dæmonum,
Vena cunctorum bonorum,
Gaudeamus intimè.

II.
Sed tu mutaberis in me.

O quando quando tandem
Dies vehetur illa
Qua de duobus vnum
De meqúe teqúe fiat?
Dilecte mi per istam
Quam sic frequenter abs te
Buccellulam capesso,
Buccellulam beatam,
Temet rogo per ipsum,
Migrare me fac in te.
Nil insuper, sed vnum
Te nouerim: sat istud.
O mî dapes amatas,
Dapesqúe flagitatas.
O indices amoris.
Quid ô quid huic amori
Poßim referre contra?
En totum habe meum cor,
Quod sæpius dicatum
Tibi sæpius dicabo.

III.
Desiderium vitalis alimoniæ.

ESuritio te mea,
Te sitis mea flagitat.
Iesu ad te rapior, viden'

Ante aras iaceo tuas,
Imple largus inanem.
Quæ quis expetit, omnia
In te repperio: domum
Dilecte ingreditor meam,
Imple pectora iubilo,
Imple largus inanem.
Ni tu me bone nutrias,
Ni des te mihi pabulum,
Atque id crebrius actites,
Membris attenuor nimis:
Vita me fugit ipsa.
Desertis melioribus,
Ad peiora statim ruo.
Vrgent namque me identidem,
Quæ contagia cæteros.
Culpæ innata vetustæ.
Sed corpus quoties tuum
Corpus vescitur hoc meum,
Spretis deterioribus,
Tuo percita numine
Consector meliora.

IV.
Dulcissimi sensus.

F*Elix anima, felix nimis*
Cum Iesu ad epulas accubans.
In queîs edendus ponitur
Quem diligit plus omnibus.

Vt ipsa

Vt ipsa sese non capit
Tale aduocata prandium?
Manant sub artus flammulæ,
Malis piè rorantibus.
Immensa Iesu charitas,
Immensa liberalitas:
Ancillulis, & seruulis
Dat se suis edulium.

V.
Fortitudo, & victoria tentationum.

SVrgo cælesti dape recreata,
Surgo diuinis onerata donis,
Surgo sublimi generositate
Macta animisq;.
Iam licet nullum timuisse bellum,
Aere florentes cuneos fugabo:
Ipse nam Sponsus dedit esse doctam
Vincere pugna.
Hostibus qui non oculo hauriuntur
Certo, me cæcis operire telis
Per dies instant simul & tenebras,
Sed sine damno.
Cingimur contra, similiq; Marte
Frangimus vires temerariorum,
Et suis hostem viduamus armis
Auspice Iesu.

Mensa me Iesu bene pascit, illa
Rebus infestis mea corda fulcit:
Inde mî nunquam malè præparatum ad
Turbida pectus.

VI.
Inuitationes mutuæ.

SPONSVS.

VEni veni columba,
Nil te sinas morari.
Mea ô soror venito.
Accumbe, nam tibi de
Memet dapes paraui
Viuasqúe, regiasqúe.

SPONSA.

Thesaure mi venito,
Nil te sinas morari.
Veni mea ô voluptas
Recubare in hoc, tibi quod
Constrauimus cubile
Castumq; suaueolensq;.

SPONSVS.

Sum puritatis auctor,
Castas amoq; mentes,
Non sordidumq; corpus.
Eò venire gratum est.
Huiusmodi immanere
Semper velim cubili.

SPON-

SPONSA.

Quod prædicas, quod optas,
Hoc tumet ipse donas.
In me ergo virginale
Tibi excita cubile,
Nostras vt inter vlnas
Suauißimè quiescas.

VII. In refugientes à sacra synaxi.

MEnsam videtis apparatu regio
Nouis onustam lautijs.
Libanda vobis ipsamet proponitur
Mundi salus & hostia.
Inuitat idem vocibus amicißimis
Qui gratis esca factus est.
At vos agrestûm more terga vertitis,
Obire nec vultis dapes.
Hîc est medela, vos medelam spernitis,
Heu sanitatis indigi?
Hic robur est, vos robur istuc spernitis,
Heu viribus fractißimi?
Hîc sunt talenta, vos talenta spernitis,
Heu pauperum pauperrimi?
Hîc lumen est, vos lumen hocce spernitis,
Heu obsiti caligine?
Hîc est leuamen, vos leuamen spernitis,
Heu obruti tot molibus?
Manat bonorum varietas hinc multiplex,
Auctore ab ipso perpetim.

Vos interim tantam bonorum copiam
Dementer auersamini.
Per mare malorum curritis, recurritis:
Velis viam quin flectitis?
Hîc mare bonorum est, huc rates aduertite,
Velorum & alas pandite.

VIII.

Mors est malis, vita bonis.

Hæc esca vitam sufficit,
Hæc esca lethum parturit:
Tantum boni, tantum mali
Eandem habent originem.
Vita quid est iucundius?
Quid morte contra tristius?
Hoc pabulum veruntamen
Vtrunque fit sumentibus.
Nil ergo eodem dulcius,
Et nil eodem amarius.
Sed improbos interficit,
Probosq; vita munerat.
Quapropter omni crimine
Piati ad hoc conuiuium
Vos ferte, pleni sobrijs,
Sanctisq; cogitatibus.

IX.

Quid retribuam domino?

O Sempiterne conditor,
O mi redemptor, ô parens
Meæ salutis, ô vigil
Custos meus, rector meus,
Tutorq; constantissime,
Adiutor ô promptissime,
Amator ô fidissime,
Largitor effusissime,
Vt me tibi propter tua
Debere dona sentio?
Sed debeam cum plurima,
Nec pauca possum reddere.
Quidquid meum est, prius tuum est,
Tu mî dedisti singula.
O quid tibi rependerim?
Sum quanta quanta, sum tua.
O quid tibi rependerim?
Sed insuper mirabili
Splendore, honore, gloria,
Felicitate, copia,
Amore percussus facis
Me sancte Iesu nobilem,
Dans temet in cibum mihi:
Vt spirituq; , & artubus
Sim iuncta nodo duplici.

Cuius thronus sunt Cherubin,
Ego facta sum thronus tuus.
Quid me potest honestius,
Quid me potest beatius
Haberi & excellentius?
Quid ergo prolixißimis
Donis tuis rependerim?

X.

Corpus Christi donum optatissimum.

DA morbidis salutem,
Da naufragiisq; littus,
Clientibus patronos,
Egentibusq; sumptum.
Da Regibusq; gentes,
Da militiq; robur,
Ducibusq; da triumphos,
Patrium larem profectis,
Patriamq; ab hoste captis.
Orantibus colonis
Da fertiles agellos.
Orantibus maritis
Da liberos trecentos.
Da cuique da benignè
Rectißimè quod optat.
Mihi quid es daturus?
Mortale nil capit me,
Nihil lubet caducum.

Te da mihi frequenter
Sub crustulo pusillo,
Sub candidaq; fruge.
Te nam replenda solo est
Mei amplitudo cordis.

DIVINÆ LAVDES.

I.

QVos sol priores ore spectat aureo,
Vasto reuertens gurgite:
Quiq; hunc diurna languidum vertigine
Propius cadentem cernitis:
Et qui frequentes imbribus madescitis
Austrum colentes humidum:
Demum furentes quà procellas suscitant
Septentrionum filij:
Telluris omnes incolæ antiquum patrem
Cantate festis plausibus.
Eius perennem agnoscite indulgentiam,
Agnoscitote munera.
Huic pangitote melos adorate, & noua
Afficite cærimonia.
Quantum potestis, mentibus, sermonibus,
Tubis, lyris, & tympanis,

Et cymbalis, & tibijs, & nablijs,
Et barbitis, & organis
Efferte numen omnium sanctißimi,
Regisq; regum maximi.
Laudationem promeretur quamlibet,
Quacunque laude superior.

II.

CVi templa sacra educimus,
Cui thura flammis addimus,
Quem comprecamur in dies,
Verusq; Deus, & vnus est.
Aeternus idem, & iustus est
Pius, potens, ac prouidus,
Clemens in omnes, omnium
Rector, patronus, conditor.
Miscetur ille singulis,
Plena ipsius sunt omnia.
Nec terra, mare, nec sidera
Totum queunt includere.
Deus tacetur verius
Quam dicitur: nec nostra mens
Natura quæ sit numinis
Indagine vlla concipit.
SANCTVS DEVS. Iteremus hoc:
SANCTVS DEVS, SANCTVS DEVS.
Sit laus Patri, sit Filio,
Vtriusque sit Spiramini,

III.

CVm Deum canere ordior,
Vnde exordiar ambigo.
Incertum est vbi desinam
Sic me copia pauperat,
Ingens copia laudum.
Quare vos opera illius
Diuersissima & optima,
Vestro pro modulo impigrè
Communem dominum ac Deum
Hymnis concelebrate.
Hunc vos millia millium,
Ministri innumerabiles,
Partiti ordinibus nouem
Ne silete, sed indidem
Hymnis concelebrate.
Ignis, ros, pluuiæ, niues,
Frigus cum glacie, & gelu,
Vndæ, flamina, grandines,
Tellus magna parens, Deum
Hymnis concelebrate.
Aequoris vada cærula,
Fluctus, flumina, riuuli,
Stagna cumq; paludibus,
Fontes cum lacubus, Deum
Hymnis concelebrate.
Saltus frondiferi, iuga
Excelsissima montium,
Vmbrosissima vallium,

Quid-

Quidquid prodit humo, Deum
Hymnis concelebrate.
Aquarum incolæ, & aëra
Queîs transmittere ludus est,
Ferarum & pecudum genus,
Et quodcunque animal, Deum
Hymnis concelebrate.

IV.

QVamdiu solis radium tuebor,
Mîq; decretos agitabo menses,
Fata me donec patientur istoc
Aethere vesci,
Semper auctorem venerata mundi
Debitum impendam studiosa cultum:
Semita incedam dominiq; semper
Pectore læto.
Hunc pia semper memorabo lingua,
(Aequius nemo memoratur illo)
Absque diuina mihi nulla laude
Effluet hora.
Mî Deus carmen meus est futurus,
Voce laudabo, penetralibusq;
Cordis illius reputabo mecum
Plurima dona.
O quibus me non meritis honestans
Partibus multis simul ante multos
Extulit? quænam Deus hisce donis
Dona rependam?

QVERIMONIÆ IN TENTATIONIBVS.

I.

REx ætheris ter maxime,
Aduerte paulùm lumina,
Qui differant me turbines
Si respicis, age respice.
Imber malorum effusior
Supra caput meum astitit.
De me trophæa cogitant
Chiliades oppugnantium.
Me continenter inuolant,
Induciasq; denegant.
Nec quippiam, meum nisi
Heu concupiscunt sanguinem.
Tantis age in periculis
Succurre mî quam diligis:
Neu me fer à latronibus
Perire funestißimis.

II.

PLutonij satellites,
Lethæa monstra quid meum
Dirè caput lacesßitis?
Fraudes, dolos quid nectitis?

Quid

Quid eia tot me casibus
Iactare delectamini?
Quid me labores, improbi,
Tantos adire cogitis?
O gentium immanissima,
Quam noxiam, narra, tibi,
Quamúe attuli molestiam,
Quamúe irrogaui iniuriam?
An quod probare me Deo
Enixius contenderim,
Eiusq; sanctis iussibus
Feruenter obsecuta sim?
Quod spes in illo colloco,
Quod tota ab illo pendeo:
Amare quod medullitus
Ipsum nec vnquam desino?
Hoc istud est miserrimè
Quod tartari inuidentiam
Flagellat. Oh quid interest?
Flagellet immortaliter.

III.

PRô prô quid hoc incendij
Manat per ossa lentius?
Haud è supernis sedibus
Descendit iste spiritus.
Cocytus illum suscitat,
Cocytus hunc ignem creat.

Subdun-

Subduntur hinc nobis faces
Teterrimæ libidinum.
Pridem malum Cupidinem
Abire iußi in rem malam:
Fugere, ah dolor, nondum queo
Fugiſſe quod putaueram.
Quid ſic caro, quid ſic furis?
Dominam in tuam quid calcitras?
Ni conquieſcis, te modo
Vexabo lamentabili.

IV.

PRocliue non eſt dicere,
Quot me tuis Ieſu bone
Obtemperantem legibus
Tentationes auocent.
Vt irrito me fœdere
Priuet tuis amplexibus,
Abducat vt Sponſam tuam,
Quid mundus ah non incipit?
Promittit aurum barbarum,
Opesq; planè diuites,
Plauſus, honores, gratiam,
Nomenq; mortis neſcium.
Huic inquio: nil promoues.
Aurum meum, gazæ meæ,
Plauſus, honores, gratia,
Et nomen, eſt Ieſus mihi.

Vis sentiendi multiplex
Dat multiplex negotium,
Blandisq; suasionibus
Ad indecora pellicit.
Sensus feruntur ad malum
Aetate ab vsque primula:
Quoduis voluptatum genus
Nunc iste, nunc ille offerunt.
Conflictus hic atrocior,
Quanto hostis est vicinior.
Ah in sinu semper meo
Hostem meum circumfero.
Ictus remetior ictibus,
Succumbo victrix denuo.
Quod vincor est ignauiæ:
Quod vinco, tu Iesu facis.
Trifaux & ille Cerberus
Latratibus me territat:
Cuius rabiem auidissimam
Sopire nosti perbene.

V.

SPONSA.

NVperrimè, ô salus mea,
Vbinam eras, exercitus
Cum me frequens inuaderet
Ferro stupendùm sæuiens?
Cur non meis clamoribus
Permotus atque lacrymis,

Vt po-

Vt postulabat res, opem
Mihi ferebas tempori?
An non ego miles tua?
An non tibi charißima?
Dilecte mi, cur absque te
Pugnam horridam pugnauimus?

SPONSVS.

Haud longius recesseram,
Tecum manebam clanculum,
Tuoq; non vulgariter
Lætabar in certamine.
Addebam ego robur tibi,
Teq; adiuuabam strenuè:
Nec absque me tam nobilis
Parta est tibi victoria.
Tu præliator acriter,
Meisq; nixa viribus,
Quas affuturas spondeo,
Ducas triumphum crebrius,

Zelus diuini honoris.

I.

Q*Vousque mi Iesu tuos*
Videbis aduersarios
Tetris opertos pestibus
Impunè vita perfrui?

Rident Scythæ ritus tuos,
Mactantq; saxis victimas.
Te Sabbatharius iterum
Cruci libenter traderet.
Caluinus, & Suenkfeldius,
Vnáque Trinitarius,
Et Zvvinglius cum Flaccio
Regnis fugant & vrbibus.
Altaria tua destruunt,
Tuos Prophetas dant neci,
Per impiamq; audaciam
Tua iussa pedibus proterunt.
Quousque, mi Iesu, tuos
Videbis aduersarios
Diris opertos pestibus
Impunè vita perfrui?

II.

NVnquamné qui licentius
Ausi Deum contemnere
Factis scelestioribus
Pœnas dabunt non impares?
Qui se potentes efferunt,
Armisq; cælum territant,
Qui diuites obambulant
Fastu indecoro turgidi,
Amplißimam qui congerunt,
Dum fœnerant, pecuniam,

Quos lingua alit periurio
Piacla non luent sua?
Magnum ebriosis da malum:
Inflige pœnam adulteris:
Inflige grassatoribus:
Inflige proditoribus.
Diuina qui superbius
Præcepta conculcauerit,
Iratus hunc, vt condecet,
Ad inferos deuoluito.

III.

QVi Christiani dicimur,
Christum colamus verius:
Mittamus oro nuntium
Stultis opinionibus.
Qui Christiani dicimur,
Christum colamus sanctius:
Mittamus euge nuntium
Tot moribus prauißimis.
O sentiamus singuli
Omnes quod vnà sentiunt.
O sentiant omnes simul,
Quod sentiunt vel singuli.
Ne nos amor labentium
A sempiternis abstrahat:
Hîc namque diuersorium
Ad patriam meantibus.

ASCE-

ASCETICA, SIVE QVOTIDIANA SPONSÆ exercitia.

I.
Contritio.

DElicta mea recogito,
Pectus meum diuerbero;
Irroro vultum lacrymis,
Tibiq; supplex accido.
Iesu tuæ clementiæ
Ah ne graueris obsequi.
Ne perde iustus noxiam,
Serua misertus supplicem.

II.
Gratiarum actio.

PRo tantis meritis tuis
Pro tot muneribus tuis,
Indignam quibus afficis,
Quas reddam tibi grates?
Dignas soluere gratias
Non non est opis hoc meæ,
Nec quidquid manet vspiam
Nostræ conditionis.

III,

Spes.

MItißimus, suauißimus
Sese Deus colentibus.
In se Deus sperantibus
Pax, gaudium, securitas.
Sperabo dum spirauero,
Colamq́; in omne sæculum.
Sperate, colite altißimum
Quotcunque Phœbus aspicit.

IV.

Amor.

ADhuc Deus laboro
Te plus amare plusque.
Totaqúe mente, totis
Te viribusqúe fas est,
Vires & vltra amari.
Te diligam supra omnes,
Supraq́; memetipsam.
Tu turris, atque rupes,
Tu murus, atque vallum,
Tu castra mea, meusq́;
Arcus, clypeus, & arxes.

V.

Timor ingenuus.

SI tu mî pater es Deus,
Atque ego tibi filia,

Cur te mancipium velut
Quoddam vile timebo?
Non me supplicium mouet,
Herum lædere nescio:
Sed offendere abominor
Pium nata parentem.

VI.

Pro peccatoribus.

VIx vnus atque alter tua
Mandata Iesu factitat.
Scelesta perpetrantium
Referta tellus vndique.
At tu scelestos corrige,
Culpas & obliuiscere.
O præda ne sint tartaro
Tuo coempti sanguine.

VII.

Principium, & finis actionum Deus.

IESV principium meum,
Idem finis ades meus.
Verba tu mea tempera,
Facta tu moderare.
Tu da rebus in omnibus
Abs te semper vt ordiar.
In te denique desinam.
Adsis rite vocatus.

VIII.

Dolor de vitiosis affectibus.

MEcum tot annis prælior,
Et memetipsa persequor:
Sed absoluta contigit
Nondum mihi victoria.
Affectionibus meis
Menti parum audientibus,
Heu quot cruces, heu quot neces
Pridem intulisse oportuit?

IX.

Exultatio spiritus.

VT blanda motionum,
Sensusq; suauiores
Pectus meum pererrant?
Mens exilit, Deoq;
Afflata, iam relictis
Mortalibus, supernis
Se miscet icta regnis.
O sæpius reuise
Me dulcis hora: namq;
Felicius quid vnquam
Tali precemur hora?

X.
Desiderium propter Christum patiendi.

QVi multa grauia, & aspera
Te propter, ô Iesu, potest
Perferre quam fortissimè,
Is diligit feruentius.
Amare feruentissimè
Ego tua te desidero.
Hinc est quod aduersissima
Te propter opto perpeti.

XI.
Resignatio.

EN me premunt dolores,
Et lingua me lacessit,
Nimium proterua lingua.
En res abacta furto est.
En voluitur superbas
Incendium per ædes.
Charissimum parentem,
Charissimumq; fratrem,
Charissimam sororem
Auara mors ademit.
Pecuniæq;, opesquè,
Famulæquè, seruuliq;
Erant mihi: sed ecce
Ad inopiam pudendam

Te

Te non vetante veni.
Libenter omne durum
Veruntamen feram, si
Tibi sciam placere,
Tua mea sit voluntas.
Nos sæpe velle nostrum
Deludit atque fallit.
Tua Deus ast voluntas
Est ipsa rectitudo.

XII.

Afflictatio corporis.

VT animus imperet meus,
Moderetur atque sensibus,
Hoc punio corpus meum,
Et seruitute comprimo.
Mansuetus vtique ac mollis est.
Multumq; delectabilis,
Qui nostra torret intima
Facibus suis amor Dei.
Sed dura facere, & perpeti
Prægestit idem; ludus est
Ieiuniis pallascere,
Humi cubile sternere,
Fraudare se soporibus,
Noctem precando ducere.
Laboriosus est labor?
Fiet leuis, si diligas.

Setosa tunica, & hispida
Mî sæpe corium defricat.
Quin verberationibus
In memet ipsa sæuio.
Oluscula, & radiculæ,
Leguminumq́; vilia,
Sine sanguine mihi cœna sunt,
Et artis expers mensula.
Mihi Falerna pocula
Sunt nota tantum nomine.
De vitreis nam fontibus
Sitim leuamus aridam.
Et hæc, & alia plurima
Lætaq́; lubensq́; perfero.
Maiora longè passus est,
Quem diligo, sponsus meus.

XIII.

Solitudo & quies.

D*Vm sola sum, non sola sum.*
Si sola non sim, sola sum,
Ipsaq́; me fio minor.
Quid turba nisi turbas ferat?
Quietis heu non dubia mors,
Qua cum Deo, & cælestibus
Diuina, & immortalia
Tractanda sunt negotia.
Sedes Deo gratißima

Sedata mens, silentio, &
Deuota solitudini.
Nolo foris vagarier,
Oculisq; simul, & auribus
Rerum sequi vanißima.
Domi sedere me iuuat:
(Chara domus est, domus optima)
Actis procul tumultibus
Habitare mecum, & olympicis
Liquescere voluptatibus,
Dum sancta lego volumina:
Regem, & beatos ordines
Dum mentis acie contuor,
Et rebus à pereuntibus
Illuc abire concitor.

XIV.

Examen conscientiæ.

NE iudicum iustißimus
Me luce in illa iudicet,
Aperta qua diuinitus
Reddent sepulcra mortuos,
Ego ipsa me seuerius
In singulos iudico dies.
Excutio memet sedulò,
Animi recessus intimos
Perscrutor, & remetior
Cum cogitatis omnia
Quæ dixerim, quæ fecerim,

A sole primo in vesperam.
Iniqua Christi legibus
Quæ perpetrata reperio,
Gemitu, dolore, atque precibus
Et lacrymis oblittero.
Licebit ô cui dicere
Nullo reus sum crimine?
Lædere Deum est facillimum.
Horis diurnis quot fluunt,
Et antequam Phœbus cadat,
Num septies iustus cadit?
Tam sæpe si iustus cadit,
Iniustus heu quoties cadet?

IMITATIO SANCTORVM.

I.

AVete magnæ ciuitatis incolæ,
Non finiendo victitantes gaudio.
Vt vos lubet mirari, amare, laudibus,
Votisq; semper prosequi recentibus?
Vt crebrius me vestra præclarissima
Trophæa somnos molientem suscitant?
Simili ambulare concupisco tramite,
Meoq; vestra pede premere vestigia.
Vos intuens, facinora vestra ponderans,

Puro

Puro velut ſpeculo meas cerno maculas,
Meamque, prô, perſpicio turpitudinem.
Auete magnæ ciuitatis incolæ,
Duces, magiſtri noſtri, & exemplaria.

II.

Vos me miſellam ô adiuuate cælites,
Necdum expeditam vinculis terreſtrium.
Nullius etiam ſanctitatis compotem.
Domitaſſe vos rigore magno corpora,
Vigilaſſe multum, pertuliſſe & inediam,
Iacuiſſe humi, frigusq; iuxta, & caumata,
Pœnasq; ſuſcepiſſe nunquam debitas,
Perpeſſu atroces, nunciant volumina.
Hac in palæſtra trita ſum parciſsimè.
Vos me miſellam ô adiuuate cælites.
Precibus & horas, & dies cum noctibus
Dare potuiſtis maxima lubentia,
Lenociniaq; ſenſuum peſſundare,
Stygiosq; caſſes gnauiter dirumpere,
Et tela in ipſos vertere aduerſarios.
Hac in palæſtra tenuiter verſata ſum,
In qua peracta longa vobis tempora.
Vos me miſellam ô adiuuate cælites.
Proferre quid opus eſt labores cæteros,
Pugnasq; pugnatas, triumphos nobiles,
Decoraq; non mortalia? quibus ſimile nil
Adhuc patraui, vos nec æmulata ſum.
Vos me miſellam ô adiuuate cælites.

DIVINÆ CONSOLATIONES.

I.

NOn semper imbres, non cadit grando horrida,
Nec nubila polum cæca semper obtinent.
Ridet vicißim crinibus sol aureis,
Ventiq; nubes in mare ferunt Creticum.
Sic me procellis fluctibusq; subditam,
Pressamq; longiore mœstitudine,
Consueta tandem molliunt solatia,
Luctus meos, lacrymasq; compensantia:
Quæ quanta sint, qui perfruuntur, hi sciunt.
Ambrosia dulcis, dulce nectar, dulcia
Sunt mella, saccarumq; verùm his omnibus
Vel mille credite dulciora partibus
Infusa cœlo pectori lenimina.

II.

VT colliquescit cera coniecta foculo,
Sic tota colliquesco, tota diffluo,
Dum dulcibus fruor allocutionibus
Sponsi mei: me solus ipse recreat,
Affatibusq; corda blandis roborat.
Nimbos fugat, reparatq; clara lumina,
Terrena nulla, nulla sunt solamina,

Cælestium exæquanda magnitudini.
Nihil creatum me perinde mulceat,
Quantum creator ipsemet demulserit.
Medium videtur cor meum disrumpier,
Suauè alloquentis tanta vis est numinis

SACRARVM SCRIPTVRARVM MEDITATIO.

I.

PRiscorum inepta scripta vatum posterî
Honoribus cur quæso singularibus,
Nulliq; visis antea dignamini?
Namque aureas in arculas includitis,
Nugas canoras pro mero auro ducitis.
Auro & lapillis fabricata scrinia
Custodient sacra melius volumina,
Dei loquelas, dicta sancti spiritus,
Sanctißimarum arcana rerum dogmata,
Zenonia non disputata porticu
Nec in Ecademi ventilata syluula.

II.

QVàm diligo Deus meus voces tuas
Librorum in istis exaratas paginis?
Prorsum aureis sunt exarandæ litteris.
Aurum nitens, gemmæq; sunt merißimæ,
Et si quid his ambobus est præstantius:

Queîs regna mundi quamlibet opulentia
Sua æstimatione non certauerint.
Quàm suspicio, quam reuereor, quàm exosculor,
Quàm amplector, & verso lubens voces tuas?
Totos dies oracula meditor tua,
Cibus meus, potus meus, vita mea sunt,
Salus & interior, quies, iucunditas.
Fontes mei sunt, vnde limpidißimas
Haurire lymphas soleo, quas bibo, quibus
Permundo me, labeculasq́; diluo.
Myrothecia mea, plena fragrantißimi
Vnguenti, & hortuli mei cultißimi,
Vnde mihi florum carpo quam pulcherrimos,
Quibus coronas necto mî bellißimas.
Aromatum areolæ, inde prodeunt mihi
Messes Sabeæ, auræq́; quam gratißimæ.
Quin & taberna diues est medicaminum,
Quascunque curandas ad ægritudines.
Eloquia domini quantum amo, quantum colo?
Nil castius, nil suauius, nil sanctius.

AVCTA-

AVCTARIVM, EX DICTIS ALIQVOT SANCTORVM.

Dauid Rex.

I. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

PRæ desiderio Dei
Mens pridem mea languit,
Cor meum quoque tabuit,
Ipsum corpus inaruit,
Deum diligo solum.
Vnus hic placet, omnia
Hunc extra mihi non placent.
En vnquam veniet dies,
Cum videbo Deum meum
Quem quæro sitibundus?
Regnum, & diuitiæ meæ,
Omnis prosperitas mea,
Quidquid discupio boni,
Hoc totum Deus. O Deus
Tecum iungar in æuum.

S. Petrus.

II. Domine, tu nosti omnia, tu scis quia amo te.

MAgister ô magister,
Amabilis magister,
Te quæso ne roges me,
Ne sciscitere quartùm
Ecquid te amem, quod ipse,
Cui sunt aperta cuncta,
Multò ante peruidebas.
Te tertiùm negaui,
Te tertiùm ecce contra
Amare sum professus.
Haud vlla fœminarum
Mî in posterum nocebit.
Quæcunque dura possum
Tuo pati ex amore.

S. Ignatius.

III. Amor meus crucifixus est.

IESVM cruce interemptum,
Nihilq; præter illum
Mihi stat amare posthac
Visceribus vsq; totis.
Queîs propter hunc reuinctus
Sum per nefas catenis,
Duco esse margaritas.

Sæuißimi leones,
Quos audio paratos,
Me deuorate totum.
Vorate me, nec hilum
Relinquite, vt mei nil
Cadaueris superſit.
Sic arbitror meo ſic
Placebo plus Amori:
Ad quem per omne mortis
Genus licet nefandæ,
Tormenta & vniuerſa,
Gladios, rotas, & ignes,
Per mille ſectionum,
Cruceſq; per trecentas,
Per pectines, catastas,
Per laminas, & haſtas
Deſidero venire.
Satius mori eſt ob illum,
Quam præſidere mundo.

S. Auguſtinus.

IV. Et omnis copia, quæ Deus meus non eſt, mihi egeſtas eſt.

O Quidnam ſine te Deus
Mihi corda repleuerit?
Quam poſſunt opulentiam
Terrarum ſola cum polo
Mihi ſuppeditare?

Luna, & astrum Hyperionis
Sint in mancipio meo,
Seruiant mihi sydera,
Non has diuitias reor:
Nulla est copia, nulla.
Vt sint arbitrij mei
Cælestûm agmina mentium,
Queis componere nil queas:
Non has diuitias reor:
Nulla est copia, nulla.
Mundus fac age neminem
Me præter dominum colat:
Solus possideam omnia,
Non has diuitias reor:
Nulla est copia, nulla.
Ero pauper & indigus,
Potens quamlibet omnium.
Tu Deus mea copia,
Tu ditissima copia,
Te solo saturabor.

S. Paulinus.

V. Domine, ne excrucier propter aurum & argentum: vbi enim sint omnia mea, tu scis.

Venentur aurum cæteri,
Illudq; plus parentibus,
Plus liberis dulcissimis,
Plus diligant vxoribus.

Argentum ametur cæteris,
Sit instar animæ & sanguinis.
Inter videntes absque eo
Se mortuos existiment:
Mihi ista curæ ne sient.
Adeptio ne talium,
Ne turbet horum amißio,
Nec aßis omnia faciam.
Mihi mea est felicitas,
Mihi mea est possessio.
Meum aurum, & argentum Deus,
Opesq; regalißimæ.

S. Bernardus.

VI. Super omnia reddit amabilem te mihi, Iesu bone, calix quem bibisti, opus redemptionis nostræ.

DVlcedo mea Iesu bone,
Caussas vt habeo plurimas,
Ardentiorem quæ tui
Mihi suadean: amorem?
At non alia me validius
Amore percußit tui,
Quam quod caput propter meum,
Mactatus es libenter.
Hoc esse solum censeo
Meum quod omnem funditus,

Est quantus ille cunque amor,
Sibi iure vendicârit.
Hoc allicit eum blandius,
Hoc exigit eum iustius,
Hoc me afficit vehementius,
Hoc arctiusq; stringit.
O qualis, ô quantus tibi
Exhaustus hic labor, dolor?
Cui nullum erat negotium
Vel condidisse mundum.

S. Euticianus Martyr.

VII. Christum mihi nemo auferet, etiam qui caput abstulerit.

CRudelitas tyranni
Nostrum in genus furentis,
Laniatione nulla,
Cruciatibusqúe nullis
Non esse Christianum
Coget. Caput meum si
Ceruicibus reuellat
Vel millies, meum cor
Iesum suum tenebit.
Hunc carnifex nec vllus,
Nec persecutor vllus,
Cacodæmonum nec vllus,
Acheron nec ipse totus,

Totus nec ipse mundus
Mihi abstulisse possit.

S. Agnes virgo Martyr ad Præfecti filium.

VIII. Discede à me fomes peccati, pabulum mortis; quoniam ab alio amatore præuenta sum.

DEsine verborum, desine loquens littori,
Cessa miser incassum dona dare hymenêia,
Sum scopulo surdior, munera fœtent mihi.
Quid me obtuere carnifex? dixi tibi,
Aufer te cum illiciis tuis quò dignus es.
Frustra instas, iam promissa est alteri fides:
I, quære aliam tibi sociam; capreæ lupis
Iungentur ante, quam tibi me despondeas.
Præripuit alius spes tuas, amat alius
Hagnen, qui cum nulla dabitur riualitas.
Et ille te nobilior, ille pulchrior,
Ditior agri, ditior argenti; illius ero.

IX. Ipsi sum desponsa, cui angeli seruiunt, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur.

MAtura sim viro licet,
Virum tamen non expeto.
Mi. saxo nullus soluerit,
Arctè est ligata, Zonulam,

Desponsa summo Principi
Custodio me virginem.
Hoc illud est quod quæritat
Natus Deo connubium.
De matre cretus virgine,
De patre & absque fœmina
Amat pudicas mentium,
Simul pudicas corporum.
Hic ergo sponsus est meus,
Ipsius & ego sponsa sum.
Defloruisse flos meus,
Dum floret huic, nunquam potest.
Quid sole dicas pulchrius,
Luna quid elegantius?
Ast hæc & hic sponsi mei
Mirantur elegantiam.

X. Annulo suo subarrauit me dominus meus Iesus Christus, & tanquam sponsam decorauit me corona.

Donanda iam marito
Vt se puella comit?
Vt pingit atque fingit,
Ornatq; curiosè
Collum, caput, manusq;
Pectusq;, & omne corpus,
Auroq;, gemmulisq;,

Fucisq;

Fucisq́;, odoribusque,
Mollißimoq́; cultu.
At noster ille Sponsus
Sibi me adornat ipse.
Dat vertici coronam,
Dat auribusq́; inaures,
Rutilumq́; dat monile,
Dat annulos micantes,
Sidoniamq́; vestem.
Sic splendor ille noster,
Et tota pulchritudo
Eius benignitas est.

XI. Amo Christum, cuius thalamum introibo. Quem cum amauero, casta sum: cum tetigero, munda sum: cum accepero, virgo sum.

ET mi lubescunt iura nuptialia,
Nec possum sanctas aspernari nuptias.
Terrestribus tamen cælestes præfero,
Diuina terrenis quantum præponderant.
Ibi vnus sponsus, sponsæ sunt quam plurimæ.
Nec vllæ existunt coniugum molestiæ.
Qui sponsus, idem est Agnus, atque agnas suas
Secum ducit comites quacunq; incesserit.
Dignanda sum hocce thalamo, & hoc connubio.
Iesum si amàro, casta sum: si tetigero,

Si amplectar illum, munda sum: si verser in
Eius cubili, haud esse virgo desino.
Quid hisce sit beatius complexibus,
Quid hisce quæso comparandum nuptijs?

S. Cæcilia.

XII. Cantantibus organis Cæcilia in corde suo Domino cantabat: Fiat Domine cor meum, & corpus meum immaculatum, vt nō confundar.

AVsonia quam creauit vrbs loco inclyto,
Cæcilia non postrema Christi virginum,
Cannas digitulis admonens velocibus
Iuuante vento dum ad canendum suscitat,
Redigitq; discordes probam in concordiam,
Ipsa intimo sic concinit sub pectore,
Prædulce carmen, & Deo gratum melos.
Quod est tibi sacratum
Iesu pudice serua.
Ne siueris per vllam
Me deuiare culpam.
Ne siueris per vllas
Me polluique sordes.
In corpore ô pudico,
Mentem rege ô pudicam,
In te meas repono

Quascunq;

Quascunque spes; rogo te
Dulcedo mea tui me
Ne deseras amantem.
Quicunque persequuntur
Famulam tuam, tuaq;
Defensione stantem,
Nil me valere contra
Nil me nocere poßint.

Canticum Ecclesiæ, sub persona sanctarum virginum.

XIII. Regnum mundi, & omnem ornatum sæculi contempsi, amore Domini mei Iesu Christi. Quem vidi, quem amaui, in quem credidi, quem dilexi.

Reges regna habeant sibi,
Reges gentibus imperent:
Reginæ diadematis
Vinctæ incedere gaudeant,
Sordent orbis & vrbes.
Ornamenta nitentia
Aßis æstimo nullius.
Me cerussaq;, myrrhaq;,
Instrumenta libidinum,
Nil iuuat speculumq;.

Totus

Totus mundus, & omnia
Quæ mundus bona continet,
Iesus vnicus est mihi:
Præ quo despiciam libens
Sexcentos ego mundos.
In Iesum bene credimus,
Claro hunc lumine vidimus,
Hunc in omnibus, & super
Nos diliximus omnia,
Nec cessamus amantes.

Mariæ Magdalenæ ardentissima erga Iesum charitas.

M*Agdalis illa suum lacrymarum oppleta magi-*
Componi tumulo viderat exanimem (strum,
Cumgemituq; graui profuderat vltima verba,
Dixerat, heu longùm salue amor atque vale.
Postmodo discedens Solymæas reppetit arces,
Inuitumq; refert in sua tecta pedem.
Dein sedet, ac mæstos per collum effusa capillos,
Liquitur in tepidas fluminis instar aquas.
Et crebra ex imo geminans suspiria corde,
Pectora honesta ferit terq; quaterq; manu.
Vna pios oculos Iesu circumerrat imago,
Solus in afflicto pectore solus adest.
Non aliquid dulce est, non est optabile quidquam:
Immo vnum, è viuis cedere dulce putat,
Continuumq; breui leto finire dolorem,
Casibus & tantis oppetere ante diem.

Phœbus ad Antipodas gemmatum verterat axem,
Fuscaq; nox toto sparserat astra polo.
Per sola terrarum placabant corpora somni,
Lenibat curas desidiosa quies.
Magdalis haud partem carpit miseranda quietis,
Serpere nec somnum per sua membra sinit.
Conduplicat luctus, iterumq; iterumq; gemiscit,
Conclusi tumulo sæpe recurrit amor.
Illius & rursum, rursumq; recurrit imago,
Insidet in fibris mixtus amore dolor.
Suspirans totam se macerat anxia noctem,
Vocibus & querulis talia dicta refert.
Tandem, vita, iaces pœnis consumpta nefandis?
Non homines tanti, totus & orbis erat.
O vtinam dextra iactasses tela rubenti,
Soluisses collo vincula nexa tuo.
Neu rigidis paterere secari terga flagellis,
Neu figenda trabi cuspide membra dares.
Non tua crudeli plorarem funera luctu,
Non fierent hodie fellea cuncta mihi,
Non in me subitis consurgeret vnda procellis,
Impeterent nostrum fulmina nulla caput.
Hæc mala Christe meus tibi ego ventura videbam,
Intrepidus medio dum loquerere foro.
In te Pontifices iam iamq; verebar ituros,
Adq; tuum nomen plena timoris eram:
Ne caro capiti fraudem quis necteret vllam,
Ne quis sacrilegas iniiceretúe manus.

Eheu, quo me nunc post tot discrimina vertam?
Afferet an ne modum fletibus vlla dies?
Solane sic maneam prô dulci orbata magistro?
An magis ad tumulos ipsius ipsa cubem?
Amisi viuum, dabitur retinere sepultum.
Miles at excubitor me prohibere volet.
Inq; manus veniam grassantum forte latronum:
Tutius est timidis noctibus esse domi.
Quid Solymæ dicent? non vulgi fabula fiam?
De me, si faciam, rumor amarus erit.
Mî tamen hic vitam mœrorum fluctus acerbat.
Mœrorum obruimur fluctibus horrificis.
Magdalis hos secum rumpebat pectore questus,
Questibus & lacrymis debilitata suis.
Iam dederat cantum lucis prænuncius ales,
Et vigil ad proprium quemque vocârat opus.
Magdalis è strato irrequietos corripit artus,
Datq; sedens gemitus quos resupina dabat.
Tota dies flendo lamentandoq; recessit,
Quæq; diem totam nox comitata fuit.
Mente volutantur domini flammantia verba,
Hunc absentem audit, hunc videt, huic loquitur.
In partes animum rapit ægrum ac diuidit omnes,
Haud potis illa tuo munere somne frui.
Tempus erat roseos cum iam Pallantias ortus
Extulit, & Titan sub iuga ducit equos.
Magdalis exsurgit corpus visura magistri,
Quod prius exanimum crediderat tumulo.

Fert myrrham, costum Arabiæ fælicis odores,
Et pretiosa nitens balsama pyxis habet.
Hæc suprema sacro portabat dona sepulchro,
Hoc illa vt faceret compulit acer amor.
Olim prostratæ vestigia inunximus, inquit,
Queis dedimus lacrymis oscula iuncta pijs.
Nunc idem à nobis postremum hoc munus habeto:
Membra perungendum frigida morte reor.
Ergo incæptat iter funesti plena doloris,
Et nunc festinat, nunc reprimitq; pedes.
Ire iubebat amor, prohibebant ire timores,
Magnus at à magno est victus amore timor.
Dum vadit, secum hoc decantat lugubre carmen,
Singultu medios impediente sonos.
Ex oculis tepidi currunt in pectora riui,
Pectora candidula candidiora niue.
Flebilis heu multis perijsti chare magister,
Nulli at flebilior quàm mihi Christe peris.
Mî nihil ad luctum potuit contingere maius,
Non si letifero vulnere tacta forem.
Heu genus inuisum, heu tenebris nigrantia corda
Eumenidum sic vos exagitasse faces?
Nec nostro genere, nostro nec sanguine nati:
Arbitror immites vos genuisse lupas.
Aut vos horrisoni fuderunt æquora ponti,
Quæúe truci flammas ore Chimæra vomit.
Mater Scylla fuit, trepidantibus inuida nautis:
Vobis aut vrsa, aut sæua leæna parens:

 Barbara

Barbara vel Scythiæ tellus, vel inhoſpita Syrtis:
Seu quæ nat rapido bellua tetra ſalo.
In durum mutati eſtis vos deniq; marmor,
Marmore vel ſi quid durius eſſe poteſt.
Vſque adeo nihil immaniſsima pectora flexit.
Atqui multa feras flectere viſa truces.
Quid meus, ah, Ieſus potuit committere tantum?
Quæ ſcelera illius tanta fuêre, precor?
Cur ita ſupplicijs excarnificatus acerbis?
Crimina quæ illius promeruêre crucem?
Peccauit, monitis cum vos formauit amicis?
Pauit & immerito millia multa cibo?
Deliquit quoties morbos miſeratus abegit?
Aut veſtrum quoties eluit ipſe nefas?
Offendit quando reuocauit luce carentes?
Quando illi veſtræ cura ſalutis erat?
Quam citò fluxerunt animis tot commoda veſtris?
Gratia dum meritum manſerit, ipſa manet.
Sexcentis homines animantia cætera vincunt:
Omnis amatori eſt beſtia grata ſuo.
Agnoſcunt etiam Libyci benefacta leones:
Non ſolet, heu, grates reddere ſolus homo.
Ergo occidiſtis ſcelerata morte ſalutem.
Vnde ſalus poſthac, vnde petenda ſalus?
Viuere quî liceat vobis, ſi vita perempta eſt?
Spes extincta iacet, quid ſupereſſe putem?
Si vos innocuo mercedem ita pendere noſtis,
Quæ deinceps nocui præmia digna ferant?

Humana

Humana incertis natura simillima ventis,
Et fragili calamo par, & arundinibus.
Quem modo ter triplici superis æquabat honore,
Hunc mox inuidia Ditis ad antra premit.
Diligit, & dicto citius furialiter odit:
Non est Euripi mobilis vnda magis.
Olim quæ faciem ornarent pigmenta studebam,
Quóue modo præstans forma tuenda foret:
Et quonam subito medicamine liuor abiret:
Reddita de speculo sæpe figura mea est.
Gaudebamq; comas liquida perfundere myrrha,
Dans illas humeris inuolitare meis.
Gaudebam Eois frontem distincta lapillis,
Haud secus ac geminæ lumina nostra faces.
Annulus ornabat digitos, collumq; monile,
Impediêre meum gemmea serta caput.
Purpurea Assyrios fundebat vestis odores,
Tota peregrino munere culta fui.
Quà procedebam, spectatum turba ruebant,
In me cuncti oculos deposuêre suos.
Carpebamq; diem, nec spes differre lubebat:
Nempe voluptatum strenua miles eram.
Venturam nimium fugiebam quærere sortem,
Quid Babylon numeris præcineretúe suis.
Sic amens, sic stulta fui, sic improba vixi,
Tam mea peruersus corda tenebat amor.
Ac velut in nebulas anima exhalata rediret,
Nullaq; post istanc vita relicta foret:

Sic ego lethæa caligine mersa iacebam,
Presserat & mentem nox nimis alta meam.
Mancipium infelix miserè captiua trahebar,
Iam Phlegetonthæo subdita facta Duci.
Talia cum paterer, non sum meditata quid essem,
Nil sensi, atque ideo bis miseranda fui.
Mortifera impuram cum me fixisset arundo:
Esset & exitij non procul hora mei,
Quærere nil curans sæuæ medicamina pesti,
Insipiens mulier, fœmina stulta fui.
Donec me placido respexit lumine IESVS,
Seruatam è summis eripuitq; malis,
Curauitq; meum sine succis vulnus & herbis.
Egregiè medicas admouet ille manus.
Quam facit ille, fugat quemuis medicina dolorem.
Ille Machaonijs artibus imperitat.
Dum fleo, me iussit certam sperare salutem,
Commissiq; tuis libera, dixit, eas.
Quod sensi, deinceps me non despexit amantem.
Christus amat quemuis, qui studet esse pius.
Ex illo fateor dilexi tempore IESVM.
Ipsius hinc in me viuere cæpit amor.
Viuit adhuc, viuetq; diu, si viuimus ipsæ,
Post mea quin etiam funera viuet amor.
Credite, dilectum super omnia diligo IESVM.
Vlla nec est rerum chara perinde mihi.
Nunc itero cursus, pando nunc vela retrorsum,
Nunc demum sapio, nunc meliora sequor.

Dire

Dire Cupido vale, mollesq́; facessite luxus,
  Diffuge turpis amor, res tibi habeto tuas.
Non iam ridebunt pedibus sicyonia nostris,
  Neglectæ maneant & sine lege comæ.
Consuêram faciem mercato pingere fuco,
  Vnguine curabam membra nitere mea.
Deliciæ vanæ, vani procul este labores,
  O quoties vestri me pudet atque piget?
Si non Coa tegant fragile hoc velamina corpus,
  Nunquam cælestis talia poscit amor.
Diuini quàm vos multùm præstatis amores?
  Quàm vobis odio est perniciosa Venus?
O dulces flammæ, magis ac magis vrite fibras,
  Vrite vos sordes, vrite quæso meas.
En mea dilectus percussit corda magister,
  Illius immensus mî tenet ossa calor,
Hunc mirabiliter supra res ardeo cunctas,
  Huic vni ex æquo non amo quidquid amo.
Si dederis auri quot habebat Crœsus aceruos,
  Quæq́; in humo ac sub humo si dederitis opes.
Si mihi cum cælo totum donaueris orbem,
  Non meus in Iesum diminuatur amor.
Exulto quoties tua Iesu occurrit imago,
  Tunc saliunt animo gaudia mille meo.
Ipsa tamen Iesu magis est præsentia dulcis:
  Nectare, melle, fauo dulcior illa mihi.
Suauiter audiris, cantaris suauiter idem.
  Vt me noster amor te meminisse iuuat?

Tu spes cunctorum vitæ quos pœnitet actæ,
Nemo tuam incassum sollicitauit opem.
Quæreris, & iam tum mentes placidissimus vris:
Qualis eris si cui deinde repertus eris?
Grata quies animi, fons purus, amabile lumen,
Gaudia cum votis cuncta supergrederis.
Qualis amor Iesu, nouit qui diligit vnus,
Non hoc officij dicere lingua tui.
Atque domi atque foris, intus quæramus & extra,
Quæratur nostri semper amoris amor.
Tantum dulcedo est, & delectamina Iesus,
Cuius diuitiæ sunt nisi deliciæ.
Hic quoties hominum per amica silentia pectus
Ingreditur, tenebras protinus inde fugat.
Fœda repente cadunt, sensus pelluntur inertes,
Corde sub accenso feruidus ardet amor.
Dulcis amor Iesu pascit quos vrget amantes,
Nil queat hoc vno suauius esse cibo.
Quo magis hic cibus est animum digestus in imum,
Hoc magis indomitam suscitat ille famen.
Ipse suos contra non dedignatur amare.
O quantum illius se patefecit amor?
Hunc perpessa probat rigidæ truculentia mortis,
Membraq; inhumanis saucia vulneribus,
Quiq; iuit roseus lacero de corpore sanguis,
Et quæ sustinuit non numeranda mala.
Hoc habeant omnes studio, cognoscere Iesum,
Scilicet hunc vnum quisquis amare velit.

Si sapitis, cuncti mortales quærite Iesum,
Quærendo hunc ipsum quærere auete magis.
Vos amat ille prior, vos hunc redametis oportet:
Ferreus est etenim qui redamare negat.
Conflagrat mea mens, & tota in amore liquescit,
Et mage adhuc dominum diligere opto meum.
Verba mihi fugiunt ipsum narrare volenti,
Nec tamen idcirco muta silere queo.
Idem amor & tacitã, & rursum facit esse disertam,
Dicere quiq; vetat, me tacuisse vetat.
Gustanti esuries, sitis implacata bibenti;
Si quis amat, præter te nihil vsque cupit.
Aut si te præter quidquam desiderat vnum,
Nec dum amat, ignorat quid sit amare Deum.
Absentem infælix quoties suspiro magistrum?
En venerandum vnquam cernere qu bo caput?
Nunc morior, moriar, tanto consumor ab æstu,
Assiduóque tuus sit mihi languor amor.
Mortua sum pridem tibi soli vt viuere possem,
Vt te nosse queam, nil ego nosse velim.
Quærito te lacrymis, mœsta te voce requiro,
Quidquid ago, semper dico, vbi noster amor?
Ardet amor Iesu, atque æterno pascitur igni,
Hoc solum lethi possum ego ferre genus.
Namque ita si morimur, felix nos vita sequetur.
Innumeras vitas mors dabit ista mihi.
Pauper erit, pauper, cui necdum notus Iesus:
Si cui notus erit, mox opulentus erit.

Ecquis amicus erit, si non sit amicus Iesus?
Hic hostis fuerit si tibi, quid facies?
Quà patet in me vnam iuratus sæuiat orbis,
Me tantum Iesus diligat, hoc satis est.
Tum cassos irridebo secura tumultus:
Fortis amor trepido namque timore caret.
Solus amor non sentit onus, fert cuncta libenter:
Tristitia læta facit quid nisi solus amor?
Est modus in rebus, certo stant omnia fine,
Nescit amor finem, nescit habere modum.
Charior est mihi me dulcis super omnia Iesus.
Est plus dimidium, tota mihi est anima.
Sed quanto fuerat præ cunctis gratior ille,
Nunc tanto excruciat dirior inde dolor.
Amisi, amisi plusquam millena talenta,
Omnibus (infandùm) sum spoliata bonis.
Gaudia rapta mihi, sunt & solatia rapta.
Cur vos oro meas, cur rapuistis opes?
Parua queror diuulsa meo de corpore pars est,
Viscera quis laniet nunc reputate dolor.
Hoc nihil est, vitam miseræ Iudæus ademit,
Mors indigna simul perdidit vna duos:
Perdita si vita est, quî nunc producimus æuum?
Vita hæc non vita est, mors vocitanda mage est.
Viuo tenus, moriorq; tenus: miserescite nostri.
Nec viuo, nec sum mortua, nunc quid agam?
Si mea cura mihi per terram ablata fuisset,
Impigra per terras tum resecuta forem.

Per freta, per fluuios, perq; aspera saxa, per ignes,
Sythoniasq; niues, Caucaseumq; gelu.
A me diuisus, distractus morte cruenta est.
Sola mihi Iesum mors potuit rapere.
Non rapuit, rapuit: quid te ipsa miserrima ludis?
Raptus es, ô, sed iam præpedit ora dolor.
Quid superest igitur, nisi longum effundere fletum,
Imbribus atque genas, atque lauare sinus?
Et gemitu valles complere, & questibus antra,
Surdaq; tristifico saxa mouere sono.
Hæc ait, & chari venit ad monumenta magistri.
Verùm, heu, quæsitum nobile corpus abest.
Nunc age Magdalidos cantu renouemus amores,
Pristinus hîc ipsum se superauit amor.
Magdalis astabat viduo mœstissima busto,
Multaq; flens calidis ora rigabat aquis.
Hanc dolor impatiens tumulus astare coëgit,
Flammeus hanc nimium flere coëgit amor.
O quoties oculos circumtulit illa nitentes,
Dilectum sperans fortè videre suum.
Sublatum esse dolet, prius occubuisse dolebat,
Mœstitia heu miseræ nunc geminata venit.
Non illi viuum licuit retinere magistrum,
At saltem noster mortuus, inquit, erit,
En iam nec viuus meus est, nec mortuus, ah ah,
Bis me delusam spes mea destituit.
Te non inuento officij perire labores,
Creuit at hinc contra sollicitudo tui.

Quod volui, hoc perijt, sed non periere dolores:
  Vngere te nequeo, sed lacrymare queo.
Me dolor atque dolor comedit malè pectore in vno,
  Fletibus & neutrum diminuisse licet.
Membra labant, animum virtus antiqua reliquit:
  Quid sit opus facto non mihi nosse datur.
Speremus, quamuis spes nos frustretur hiantes,
  In desperatis sint modo cuncta licet.
Magdali rapta tibi vita est, quî viuere possis?
  Viuere cum nequeam, viuo misella tamen.
Fata quid exspectant? me prôptam hinc tollite fata:
  Eia veni, venias, mors properata veni.
Mors vita melior. Quid enim si mortua Iesum
  Viuida quem nequij quibo videre meum?
Noster vbi Iesus, ibi sum quoque tota, sed eheu,
  Iesum vbi dilectum suspicer esse meum?
Sunt oblita mihi nunc omnia præter Iesum,
  Ipsa oblita mihi sum quoque propter eum.
Dicite mî syluæ, quonam dilectus abiuit?
  Dicite mî valles, quò mea spes abijt?
Heu vbi diuerso procul orbe morabitur ille?
  Ah quibus ille oris, ah quibus ille plagis?
Quæsiui in tumulo, sed eum reperire nequiui.
  Inclamaui, at vox reddita nulla fuit.
Magdali pergamus, montes lustremus & agros,
  Hîc vel ibi noster fortè latebit amor.
Dicite mî syluæ, quonam dilectus abiuit?
  Dicite mî valles, quò mea spes abijt?

Matu-

Maturate pedes, neu vos via longa fatiget,
  Nec vos paulùm etiam nunc requiesse decet.
Vos oculi tenero ne ne languescite somno:
  Fluminibus salsis tingite & ora mea.
Neu sit quærendi finis, neu terminus vllus,
  Dulce mihi dabitur quoad reperire caput.
Dicite mî syluæ, quonam dilectus abiuit?
  Dicite mî valles, quò mea spes abijt?
Gaudia nostra vbi sunt? quò discessistis amores?
  Est vbi dulcedo pectoris vna mei?
O dolor, ô luctus: quid ego charissime feci?
  Cur despecta tibi sum mea sola salus?
Scindor in incertum, maneam si affixa sepulcro,
  Inueniam nequij quem reperire semel?
Digrediar tumulo? quò quò miserabilis ibo?
  Vt Iesum inueniam quos peragrabo locos?
Mors tumulo discedentem festina sequetur,
  Ad tumulum stantem me premet vsque dolor.
Sed domini præstat me custodire sepulcrum.
  Hîc hîc opto meum funus arena tegat.
Quid credis? mea quàm feliciter ossa quiescent,
  In tam sacrato contumulata solo?
Seu viuam, seu mors olim mea lumina claudet,
  Hærebo hîc semper, semper & inueniar.
Magdali cur isthæc tibi non præuisa fuerunt?
  Perpetuas cur non egimus excubias?
Nunquam hodie ventis hæc ploraremus & vndis:
  Haud quisquam, credo, mî rapuisset eum

Aut si complexu potuisset vellere nostro,
Insequerer scißis exululata comis.
Disceßi, rediÿ, vacuum stat corpore bustum:
Quod nolim video, quod volo non video.
Hîc sim, luminibus fors se dabit obuius ipse.
Ah, mulier sola hîc num remanere queam?
Nemo dolet mecum, religat mea vulnera nemo,
Nemo manum præbet, nemo dat auxilium.
Cæligenæ iuuenes mandant compescere fletus,
Cur mî non potius mandat vterque mori?
Hoc magnum non est, vitam mihi ponere ludus.
Quî potero casus non doluisse meos?
Odi consilium, nullis obtempero iußis,
Iesum ego nunc solum quæro videre meum.
Hunc sed vbi quæram? quem percunctabor amicum?
Dilectum ostendat quis mihi quæso meum?
Si cognosco, sat est, quas ille receßit in oras,
Mox transacta mihi cætera ego ipsa dabo.
Chara superponam ceruici pondera, nostræ,
Non mihi durus erit, non grauis iste labor.
Dilectum referam, viuit, seu mortuus ille est,
Et celerans humeris læta subibo meis.
Abripiam, sæuis quanquam circundatus vrsis,
Inter & Armenias sit licet ille feras.
Abripiam, quamuis sit muro septus & armis,
Intentent gladios Martia turba licet.
Possum ego nunc ignes, possum contemnere ferrum,
Incußisse metum nulla pericla queant.

O vtinam charum sit fas reperire magistrum,
O detur sacros ante iacere pedes.
Quos ego complexus, quæ sanctis oscula membris,
Ebria lætitijs quænam ego verba darem?
Lux hæc Threicio foret exornanda lapillo,
Sol surrexisset candidus ille mihi.
O si te inueniam, quàm te amplexata tenebo?
Sic viuam, è manibus non rapiere meis.
Qualis vbi fixa est Dictæa cerua sagitta,
Currit, & à toto corpore sudor abit:
Quam tergo catuliq; premunt, acresq; molossi,
Algentes fluuios expetit illa sibi:
Sic ego mille tuis animum completa sagittis,
Te solum æterni flumina fontis amo.
Dicite dilecto ipsius languemus amore,
Ipsius in nobis, dicite, feruet amor.
O quanto illius iam pridem carpimur igne?
O sciat, (& scit enim) feruere corda mea.
Me sustentat amor, mœror se miscet amori,
Aufugiet mœror, si mea vita redit.
Lux mea, dulce decus, dilecte reuertere quæso,
Eia redi tandem lux mea, dulce decus.
Redde mihi vocemq; piam, vultumq; serenum,
Pulcra tibi facies, vox tua dulcis erat.
Ah vbi te amisi, quorsum mea vita recessit?
Eia redi tandem lux mea, dulce decus.
O tandem aspiciam te mi dulcissime IESV,
Perfruar obtutu me sine quæso tuo,

Hæc

Hoc vnum da Christe, libens descendo sub vmbras,
  Ipsaq; mors veniet nil metuenda mihi.
Lux mea, dulce decus, dilecte reuertere quæso,
  Eia redi tandem lux mea, dulce decus.
Quod si tardabis, sine te miseranda peribo,
  Tantus amor nobis afferret ipse necem,
Dicite dilecto, illius languemus amore,
  Illius in nobis, dicite, feruet amor.
Splendidior sole hoc, matura dulcior vua,
  Mel mihi fel sine quo, tempus & omne graue.
Aurora & nitidis longè formosior astris,
  Gratior & violis, Idaliisq; rosis.
Quo sine amara dies, & amara silentia noctis,
  Quo sine vitalis vita nec esse potest.
Mi dilecte veni, dilecte reuertere quæso,
  O tandem redeas, te comitata sequar.
Mi dilecte ades, & quod habes mihi redde meum cor:
  Tu cor, tete ergo cor mihi redde meum.
Si fueris coram, ridebunt omnia nobis:
  Absens si fueris, omnia dura putem.
Te veniente dies nobis illabitur alma,
  Si cedas, tenebris nox adoperta venit.
Proiicit in terras radiantia spicula Titan,
  Proiicis in pectus tu quoque tela meum.
Nulla iuuant sine te placidis solamina verbis,
  Vel tuus aspectus me recreare potest.
Nam quid ego sine te, nisi truncus, inutile lignum?
  Me si respicias, fertilis arbor ero.

Lætaq́; florebo velut hortis lilia cultis,
Et florere velut spica Cilissa solet.
Tartara mî cælum, cælum quoque tartara fient,
Si meus hic absit Christus, & adsit ibi.
Thesaurum inuenit, quicunque inuenit Iesum,
Quem qui perdiderit, se quoque perdiderit.
Lux mea, dulce decus, dilecte reuertere quæso,
Eia redi tandem lux mea, dulce decus.

FLORI-



Beati qui ad cænam nuptiarū Agni vocati sunt.
Apocal. 19.

FLORIDORVM LIBER OCTAVVS,

DE NVPTIIS AGNI.

I. Sedes beatorum.

Qvæ quondam viguêre ciuitates,
Multis nominibus superbientes,
Et nunc ante oculos cadauerũ instar
Magnorumq; iacent, olentiumq;,
Adhuc laudibus efferentur amplis?
Adhuc materiam dabunt poetis?
Dirutis agite, atque diruendis
Vos ô Musicolæ vrbibus salutem
Longam dicite, principem omniumq;
Sanctorum canitote ciuitatem.
O quid nobiliusque, clariusque,
O quid splendidiusque, pulchriusq;,
O quid mirificum magis, magisq;,
Amplum, magnificum, potens, venustum.

Firmm

Firmum, illustre, quid ô refertiusque
Rebus qualibet optione dignis?
Nil hac est locupletius, nihilque
Fortunatius, ac perinde durans.
Immortaliter vrbs manebit ista:
Quam non artificum manus, laborq;
Humanus posuit: sed ipse mundi
Auctor imperio suo excitauit.
Non hîc per speculum, aut per inuolucrum, ast
Germana facie Deum videre est.
Maiestas ibi numinis patescit:
Sedem illic stabilemq; collocarunt,
Quos inter retulit suos amicos.
Nil hac delitiosius fatendum est.
Nil hac nil pretiosius putandum est.
Vrbs argentea deforis, sed intus
Auro illûsa nitens, nitens lapillis.
Non hîc noctiuagæ creantur vmbræ,
Non hic exerit vllus ora Titan.
Agnus lucifluus diem ministrat,
Et diem roseum, atque sempiternum.

II. Salutatio patriæ cælestis.

DVlcis patria millies aueto.
Tandem tandem oculis te adeptus istis
Infelix ego, anhelus & viator,
O quàm cerno libensq;, gratulansque.
Vera ô Ierusalem, decora summi

Regis

Regis mœnia, templa sancta diuûm.
Dulcis patria ter quaterque salue.
Tu promissa piis es illa tellus
Melle & lacte fluens, & ipsa tumet
Cultior paradisus, atque portus
Securissimus, vltimumq; prorsus
Vota quod tetigisse nostra possunt.
Tu desideriumque, amorque noster.
Te propter gemimus, tuiq; caussa
Bella quotidiana perpetramus.
Dulcis patria millies aueto.

INVITATIONES AD COENAM NVPTIARVM AGNI.

I.

SEmpernè igitur affixi transeuntibus,
Obliti æterna funditus manebitis?
Quid? bona faciunt hanc vitam commendabi-
Immò mala innumera faciunt detestabilem. (lem?
Dolor, labor, timor, angor, consternatio,
Mœstitia, sollicitudo, pœnitudines,
Horror, fastidium, rixæ, cupidines,
Suspectiones, iræ, & arrogantiæ,
Libidines, odia, cædes, fallaciæ,
Sacrilegia, periuria, superûm contemptio,

Discor-

Discordiæ, insidiæ, proditiones, amor
Habendi inexsaturabilis, violentia,
Denique scelerum facies haud pernumerabiles.
Iam de miserijs corporum grauißimis,
Iam de fortuitis casibus quid autumem?
Quot sint cruciamina morborum quis dixerit?
Quot calamitates pressant, quot discrimina?
Centum nihil est: linguas mille exoptet sibi,
Cunctorum qui studet nomina percurrere.
Postremò vos tristis, senectus obruit,
Cui mors rerum exremum omnium graditur comes.
Heu quas vita hæc non habet amaritudines?
Quas non cruces, quas non pestes, quas non neces?
Et adhuc in his crucibus, pestibus, & mortibus
Ducere iuuabit auras longo sæculo?
O corda veræ lucis nimium egentia.
Hoc os sublime, vultum hunc erectißimum
Domos ad sidereas tollite ibi vos manet,
Vita melior, vita modis felix omnibus.
Eò citatis pergitote greßibus.
Hinc magna, parua, media mala procul exulant.
Hîc habitant lætitia, requies, pax & salus,
Securitas, tranquillitas, concordia,
Nulloq; morbo corrumpenda sanitas,
Thesauriq;, & voluptas cuiusque generis,
Lux fulgidißima, lux occasus nescia.
Hîc ver perpetum, hîc & iuuentus florida,
Quam nulla vitiet temporum diuturnitas.

Hîc

Hîc plausus, & tripudia, & dulcis carminum
Semper viget modulatio, nec afferet
Aliquando ætas immensis finem gaudijs.
Has ergo, si candidum ab atro distinguitis,
Desiderate, & suspirate nuptias.
Venite, venite sacras ad Agni nuptias.

II.

EN rex omnipotens amore victus
Humani generis suos per orbem
Legatos facit ire nos, & omnes
Ad cœnam vocitare nuptialem.
Prætermittere neminem iubemur.
Nuptias siquidem suo parauit
Lætas vnigenæ. Venite cuncti,
Venite accubitum, chorosq́; ductum.
Venite ad genus omne suauitatum.
Vos Sponsi pater, ipse Sponsus, ipsa
Sponsa, & maxima multitudo iam olim
Vocatorum, auideq́; iam diuq́;
Exspectat. Quid adhuc lubet morari?
Cælo, si sapitis, viam vorate.

III.

QVod vos aßiduis rogare votis,
Et cum fletibus obsecrare multis
Aequum erat, rogat ille, nec quiescit,
Denuo rogat, & frequenter ad vos
Prophetas, & Apostolos, & omnis

Nuntios

Nuntios generis venire mandat.
Natum quin etiam suum rogatum
Vos mittit. Reueremini, oro, natum.
Euge ad magnificam venite cœnam.
Haud vestram esuriem vspiam licebit
Solari magis: ipsemet Deus se
Cœnandum dabit: ipse solus omnes
Explebit pius appetitiones.
Ne ne ducite tempus. O venite
Ad conuiuia regis. O venite.

I. Diuinitatis manifesta contemplatio.

SPectare faciem numinis sanctissimi,
Deumq; coram posse contemplarier,
Sine speculo, nullam per vmbram ænigmatum,
Est absoluta scilicet felicitas,
Animusq; satiandis vel vna sufficit:
Ludus videri cætera queant omnia.
Bonum bonorum est omnium diuinitas,
Beatitatis pelagus est altissimum.
O centies beati, & iterum centies,
Quibus licet in hoc se pelagus immergere,
Cernere Deum, sese in Deo, & simul omnia.

Quid-

Quidquid trahit vitalis auræ ſpiritum,
Quanta eſt, eundem laudet vniuerſitas.

II. Beatitudo corporum.

QVænam corporibus bona affutura
Ciuitate in olympica arbitramur?
Quæuis commoda, quaſlibet ſalutes,
Et quoduis genus elegantiarum.
Quamlibet fore creditote partem
Quantum quæ pote maximè, beatam.
Membra ſingula, ſinguliq; ſenſus
Excellent propria beatitate.
Ergo luciduliquè, amabilesquè,
Melliti, roſeiq;, blanduliq;,
Puris ſideribusq; puriores,
Ipſo ſole magis decori ocelli,
Quæ palatia, regna quæ videbunt?
Et latiſsima, & aureis honeſta
Circum parietibus, ſmaragdinisquè,
Perq; Agni radioſa claritatem.
Quàm ſuaues ibi mutuiq; fient
Aſpectus? quid ibi videre matrem
Magnam, virgineam, inclytamq; Matrem?
Quid te cernere, Chriſte, tam decentem
Membris lacteolis, micantibusquè,
Quantum nulla poteſt micare gemma?
Cantus dulciſoni auribus dabuntur,
Cantus melliflui, quibus trahantur

Ferarum fera corda, saxa quercus.
Nares accipient nouos odores,
Odores quibus Indus, aut Sabæus
Est ignotus. Ibi sapor palato
Plusquam nectaris vsque blandietur.
Veris temperies vigebit illic,
Amplexus ibi, & osculationes
O quales fore ducimus? pudicas,
Aeterni simul ebrias amoris.
Triste nil patietur, aut molestum
Corpus, nil animumq; lædet vltra.
Quorsumcunque volet, mouebit artus
Expertes oneris, leuißimosque,
Ad omne imperium facillimosque,
Vt Titonia lampas & coruscos.
Quare dic mihi, dic amabo, si sol
Per totum sua tela vibrat orbem,
Soles innumeri, atque conglobati
Quam densum poterunt vibrare lumen?

III. Conuictus Sanctorum.

MVlto milite Græciam occupare
Narratur studuisse Medus olim.
Nugæ talia, somniumq; anile,
(Quanquam flumina tota pôtitarunt)
Ad cæli agmina densiora multò.
E cunctis populisque, gentibusq;,
E cunctis regionibusq; mundi

Quam

Quam magnus numerus per omne ſæclum
Ibi lætifico fruuntur æuo?
Quid dicam, vt ſibi mutuos honores
Viciſſim nimio ferant amore?
Quando illic ita corda colligantur,
Vnum ex innumeris cor vt reſultet.
Mens vna omnibus, vnicumq; velle.
Nil quiſquam ſibi proprium eſſe retur,
Gaudens alterius beatitate,
Aequè quam ſibi contigiſſet ipſi.
Non illic ſtrepitus tumultuantum,
Non confuſio vel leuis notatur:
Eunt ordine cuncta congruenti.

SOCIETATES.

I. Cum Angelis.

PArúmne ſuauis eſt futura ſodalitas
Cum tot puerulis pinnulas gerentibus
Pulcherrimas, cantuq; præſtantiſsimis?
Canunt, nec aliquando canentes deſinunt,
Rerum parenti multiplex encomium,
Ceu rideant ſi prata per virentia,
In crebritate floſculi pictiſsimi,
Colore diſtantes, comis, & odoribus:
Cæleſtis oræ ſpatia ſic latiſsima

Millena pingunt angelorum millia,
Quibus nec vlla certet elegantia:
Varia tametsi dignitate discrepant,
Et functione distrahuntur inuicem.

II. Cum Patriarchis, & Prophetis.

QVos mundus agnouit Patres recentior,
Patres verendos plurimarum gentium,
Et qui Deo pleni futura minoribus
Prænunciauerunt tot ante sæculis,
Vt hos videre, & colloqui, & conuiuere
Iuuabit? en fideli cum Abrahamo, Isacio,
Eiusqúe nato, huiusq; bis sex liberis,
Et primus vuas qui meracas combibit,
Iungemus & cum Moyse consuetudinem,
Tecumq; qui tam luctuoso carmine
Super tuorum seruitute lacrymas.
Tecum iuuabit copulare dexteras,
Quem serra medium discidit crudeliter.
Tecum volup erit multa fabularier,
Nocere quem rabies leonina horruit.
Reliquos Patres, Vatesq; mitto proloqui,
Quorum omnium sermone quid iucundius?
Quid familiaritate tanta dulcius?

III. Cum Apostolis.

Salue senatus Principum ter quattuor,
Salue sacrorum iudicum collegium,
Saluete clari piscium venatibus,
Quorum sagena totus orbis captus est.
Vobis columnis nostra nititur fides,
Qui ciuitatis estis & fundamina,
Quæ margaritis constituta visitur.
Quàm dulciter vestris fruemur vultibus?
Quàm suauiter vestris fruemur vocibus?
Apostolorum cœtui coniungier,
Quanto putemus esse plenum gaudio?

IV. Cum Martyribus, & Virginibus.

Ecquid terricolæ sacras videtis
Sursum incedere militum cohortes?
Velis corpora candidis teguntur,
Auratæ capita integunt coronæ:
Gemmulis rutilantibus decoræ,
Tum ramos quoque dexteris oliuæ
Portant magnifici indices triumphi.
Collato pede nam Deo rebelles
Vicerunt generosius tyrannos.
O fortissima pectora, ô phalanges,
Quæ vobis epinicia occinemus,
Infantes hodie, & parum eloquentes,

Dum vitam hanc trahimus? sed exsoluti
His compagibus, & polo recepti,
Cum vestri numerabimur sodales,
Tum bellata animosa bella vobis,
Relatasq; cruento ab hoste palmas
Cantu Mæonio vsque prosequemur.
Et cum virgineis quid ô cateruis
Erit viuere posse sempiternùm?
Virgines Dominum sequuntur Agnum,
Agnum quem peperit tenella virgo:
Et dulcissima carminum canentes
Mulcent stelliferi domos olympi.
Virgines latera innubæ parentis
Circundant propius, beatiusqúe.
Virgines roseas gerunt corollas,
Alba & lilia symbolum pudoris.
Quis non in medio, precor, rosarum,
Quis non in medioqúe liliorum
Optatam velit actitare vitam?

V. Cum Maria genitrice, & Iesu Saluatore.

Quales lætitias tuumq; corpus,
Quales delicias tuusqúe sermo
Cunctis ô pia mater est daturus?
Diuinissima pulchritudo tecum est.
Maiestas tua, & amplitudo tanta,
Quantam cælicolæ æstimando semper

Haud

Haud vnquam satis æstimare possunt.
Lumen purpureum tibi iuuentæ,
Et sceptrum, & diadema: namque regni
Te in partem Deus ipsemet vocauit.
Salue Christiadûm potens patrona.
Post hoc exilium euge lacrymosum
Tui fructum vteri exhibeto nobis.
Iesum ostende rogamus, obsecramus:
Non iam (prô scelus) oblitum cruore,
Nec alta cruce pendulum: sed ipso
Phœbæo intuitu venustiorem,
Ad dextramq; sui patris sedentem,
Hostes sub pedibus velut scabellum
Omnes suppositosque proterentem.
Nostro è sanguine sanguis ille, nostræ
De carne est caro, frater ille noster,
Et rex, & dominus, deusq; noster,
Ille idemq; beatitudo nostra.

CARMINA ANGELORVM.

I.

O Sancta ciuitas Dei,
Quam gloriosa de te,
Quam læta paßim personant?
Tui incolæ triumphos

Agitant, erunt nec amplius
Vel in dolore paruo.
Alleluia, Alleluia, Alleluia.
Abstersit ipse lacrymas
Deus suorum, & omni
Carere luctu iugiter,
Nullisq; rebus angi,
Nec fata pertimescere
Mortis suprema iußit.
Alleluia, Alleluia, Alleluia.
Securitate & otio,
Summisq; gaudiorum
Circumfluent ad nuptias
Tam nobiles vocati.
Mensas dapibus, & poculis
Ornabit Agnus ipse.
Alleluia, Alleluia, Alleluia.

II.

CHarißimi sodales,
Coæuuliq; fratres
Lætemur, & choreas
Plaudamus ordinatim
Per ordines nouenos:
Testudinesq; blandas,
Et barbitos canoras,
Et tibias sonantes
Exerceamus ohe.
Alleluia, Alleluia, Alleluia.

Hominum

Hominum vetustiores
Lætamini parentes:
Lætamini Prophetæ,
Et tu perite cantor
Iessæ rex ferito
Tuam chelym, Deumq;
Laudatione suaui,
Et cælites celebra.
Series Apostolorum
Lætamini per æuum.
Alleluia, Alleluia, Alleluia.
Lætamini per æuum
Testes fideliores:
Quorum innocentis Agni
Stolæ cruore lotæ.
Lætamini per æuum,
Qui probra, qui labores,
Famem, sitim, dolores,
Grauiaq; multa propter
Æterna pertulistis,
Lætamini per æuum.
Alleluia, Alleluia, Alleluia.
Lætamini per æuum
Castissimæ puellæ,
Quæ continenter ignem
Circum in sinu ferentes
Nullas adustiones
Sensistis. O puellæ

Lætamini per æuum.
Lætamini per æuum
Quicunque poßidetis,
Timoribus vacantes,
Sedes beatiores.
Alleluia, Alleluia, Alleluia.

III.

Gaudete Iesu pauperes,
Qui copias inanium
Præ copijs cælestibus
Tempsistis animosissimè.
Gaudete quos haud impotens
Subegit iracundia,
Qui Iesu amastis æmulam
Per cuncta mansuetudinem.
Alleluia, Alleluia, Alleluia.
Gaudete iam festiuius,
Quicunque vestra crimina,
Orbemq; perditißimum
Fleuistis indulgentius.
Gaudete quos sui fame
Sitiq; torsit æquitas.
Sedat sitim, pellit famem
En vestra saturitas Deus.
Alleluia, Alleluia, Alleluia,
Gaudete misericordia
Completa habentes pectora,

Qui

Qui non propria ceu propria
Sensistis infortunia.
Gaudete puri sordium
Libidinis fœdißimæ.
O cordium mundißima
Deum videre idonea.
Allleuia, Alleluia, Alleluia.
Gaudete pacis asseclæ,
Pacis sequestres plaudite,
Pacis patroni viuite
In pacis affluentia.
Gaudete solida gaudia,
Qui persecutionibus
Nullo reatu pallidi
Pœnas dedistis sontium.
Gaudete contumelijs,
Mendacijs, opprobrijs.
Iniurijs, ludibrijs
Ipso pro Iesu exerciti.
Alleluia, Alleluia, Alleluia.

I. Vox Agni ad turbas Sanctorum.

CAelestes populi, optimiq; fratres,
Et charæ mihi plurimùm sorores,
En quod pectore sæpe concupistis,
Quod multa prece sæpius rogastis,
Pro quo tot gemitusqúe, lacrymasqúe,
Et certamina tanta pertulistis,

* *Quod vobis ibi tum fuit paratum,*
Cum sunt mœnia constituta mundi,
Iam feliciter estis assecuti.
Nunc totis animisq; , sensibusque
Collætamini, & exilite plausu,
Aeternùm canitote & Alleluia.
Vos meam esuriem cibo leuastis,
Sedastisq; sitim, hospitemque tecto
Receptum studio benigniore
Tractastis: mea nuditas operta est
Vestris tegminibus, meumq; morbum
Consolatio vestra mitigauit.
Demum in vincula traditum allocuti,
Angorem mihi molliistis atrum.
Tanta pro pietate reddo grates
Magno fœnore, centuploque fructu.

II. De gaudio æternitatis.

FElicitatem diuûm iucundissimam,
Nullisque vocibus satis enarrabilem,
Iucundiorem ipsa efficit longinquitas.
Sanè sudoris haud quaquam longissimi
Merces futura semper est durabilis.
Non tot stellis cælestis ora intermicat,
Non tot spicas messis habet, tot pisces mare,
Non tot guttas ros, non tot grana papauera,
Quot hæc beatitudo annorum millibus
Aeternabit. Quid enim? dum supererit Deus,

Viuent

Viuent beati, regnabuntq; cælites.
Perennitas haud sæculis includitur,
Nec est diu dicendum, cui stat terminus.

III. Gratulatio ad Sanctos.

O Sanctæ, ô venerabiles cateruæ,
Vt dant gaudia vestra blanda nobis
Delectamina? vt illa lectitare,
Vt audire, animisq; ponderare,
Et sermonibus explicare suaue est?
Naturæ facit hoc necessitudo,
Diuinæ ingeniumq; charitatis,
Quæ tam valde aliena dona sentit,
Quàm valde suamet bona experitur.
Vos reges modo principesq; dici
Ius est, vos dominosq; herosq; nostros:
Vos mortalium & optimos patronos.
Quàm pericula multa transuolastis?
Quot casus superasse confitendum est?
Quàm duros subiisse vos labores?
Quales cum vitiis inisse pugnas?
Quantum dæmonibusq; restitisse?
Nunc dulce est pretium sed à labore,
Nunc quies placida est magis, magisq;
Sunt solamina chara post dolores.
Sit vobis bene, sit beate, amici,
Fratres, ac domini, orbis & patroni.

EXVL-

EXVLTATIONES SANCTORVM.

I.

Q Vondam per vndas iuimus,
Transiuimus per ignes:
At nunc refrigerabimur,
Sicco pede ambulantes.
Alleluia, Alleluia, Alleluia.
Mœstis euntes fletibus
Semen solo dabamus:
Sed nunc graues manippulos
Portamus en ouantes.
Alleluia, Alleluia, Alleluia.
Hyems maligna desiit,
Apparuêre flores.
Venêre & Agni nuptiæ,
Immensa gaudeamus.
Alleluia, Alleluia, Alleluia.
Benedictioq; , & claritas,
Actioq; gratiarum,
Et fortitudo, & gloria
In sæculum sit Agno.
Alleluia, Alleluia, Alleluia.

II. Con-

II.

Conſpecta neminiquée,
Audita neminiquée,
Nulliq; cogitata,
Data ſunt fruenda nobis.
Alleluia, Alleluia, Alleluia.
Torrentibus bonorum
Inebriamur omnes.
Sic ſic inebriemur,
Alternà gratulantes.
Alleluia, Alleluia, Alleluia.
O quid poteſt moleſtum,
O quid laborioſum,
Quid arduum putari,
Si pandit alta cæli?
Alleluia, Alleluia, Alleluia.
Breuis labor perrenni
Remuneratione:
Breue prælium perenni
Penſatur & corona.
Alleluia, Alleluia, Alleluia.
Remunerationes
Iſtas, & has coronas
Iter adeundo mortis
Pietas parauit Agni.
Alleluia, Alleluia, Alleluia.

Honor

Honor decus sit Agno
In sæcla sæculorum.
Tibi mitis Agne grates
Identidem canemus
Alleluia, Alleluia, Alleluia.

III.

PErsecutores vbi sunt,
Et phalanges hostium
Verberantes, dissecantes,
Nos modis immanibus?
Orcus omnes deuorauit
Vindicandos ignibus.
Alleluia, Alleluia, Alleluia.
Ecce machinationes,
Spiritus nequissimi,
Quam nihil vestræ fuerunt,
Impetus & irriti?
Nos triumphus inde vobis
Excipit ringentibus
Alleluia, Alleluia, Alleluia.
Sunt ubi iam tot malorum
Quæ grauabant pondera?
Nulla parent, nulla restant,
Desierunt omnia.
Sempiternis liberati,
Gaudijs circundamur.
Alleluia, Alleluia, Alleluia.

I. IESVS conuiuis suis ministrans, eosque compellans.

Non ligua promere, nō calamus scribere potest,
Non sensus attingere, non capere vlla ratio,
Quàm splendidè exstructurus sit conuiuium,
Vxorem quando Agnus sibi ducet suam.
Succinctus ipse linteo, accumbentibus
Ministrabit, multa plenus hilaritudine.
Crateras magnos statuet, ac dulcißimos
Miscebit latices, epulasq; ipsemet inferens
Conuiuas his sermunculis affabitur.
Comedite amici, & bibite, & inebriamini
Charißimi. En ego regnum quod mihi pater
Dudum contradidit, iam nunc communico
Vobiscum: vos cohæredes semper mei,
Meiq; fratres eritis, & socij mei,
Meamq; ad mensam discumbetis perpetim.
Exultate, & lætamini charißimi,
Comeditote, & bibitote mei amantißimi.

SVSPIRIA.

I.

QVos seruos habuit Deus
Dum istunc æthera carperent.
Hos vt mors fera messuit,
Et cælestibus addidit,
Charos ducit amicos.
Ducit hos quoque filios:
Quos coram patre, & angelis
Iesus prædicat ampliter
Nec illum pudor impedit
Fratres indigitare.
O quando ô pater, ô Deus,
Quando filius heu tuus?
Quando dicar amiculus?
Quando frater ero tuus
Clementißime Iesu?
Haud me dignor honoribus
Tam præstantibus, attamen
Quod es pollicitus mihi,
Affecto cupidißimè,
Nec cessabo rogare

II. *Quam-*

II.

QVamdiu miſerabilis
Ambulabo per hanc viam?
Ad te plus ſatis eſt iter
Longum, patria, longum.
Quid me vincula detinent
Craßi vincula corporis?
Heu cur incolo tamdiu
Hoc deforme ſepulcrum?
Felicißimus omnium,
Si quando hocce nigerrimo
Euolauero carcere
Hinc ad ætheris oras.
Ibidem aligerûm choris
Miſcebor reſonantibus.
Illic perpetuùm Deo
Honores modulabor.

III.

HAec ſi vita miſerrima,
Hæc ſi vita breuißima,
Et mors verius ipſamet
Nobis eſt in amoribus,
Si iucundius eſt nihil:
Quî non charior accidat,
Quî non ſuauior omnibus,
Quæ cæleſtibus in locis
Annos innumerabiles

Iucundißima degitur?
Nondum gaudia vidimus.
Quamprimum velit emori,
Qui inter gaudia sæculis
Immortalibus appetit
Aeuum ducere vera.

IV.

A*mnem ceu gelidißimum*
Vis cerui pauida expetit,
Canum turba sagacium
Quem latratibus vrserit
Per vasti æquora campi:
Sic ad te rapior Deus.
Sic te vnum sitio, ô Deus.
Nec sufferre moras queo.
Quando lucifer appetet,
Quo coram tibi sistar?
Per noctes misero & dies
Fuerunt mihi lacrymæ
Pro cibo: si quidem audio
Cantantes mihi sæpius,
Vbi nam Deus ille?

V.

I*ESV sancte quid hîc ago*
Afflictißimus vndique?
Tam longum exilium mihi
Cur ô cur patiundum?

Quiddam

Quiddam ſollicitudinis
Te mei teneat, precor.
Quæſo pone malis modum,
Patriam mihi redde.
Meas ſuſcipe lacrymas,
Auſculta gemitus meos,
Patriam mihi patriam,
Quam ſic ardeo, redde.
O Ieſu bone quin venis,
Pulſanſq́; oſtiolum meum,
Tuas viſere nuptias
Me ducis miſeratus?

VI.

N*Ec menſæ Sybariticæ,*
Nec me pocula Maßica,
Nec veſtes Tyriæ iuuant:
Non non eſt Deus illic.
Non gemmæ, aut ebur Indicum,
Non Craßi atria diuitis,
Non me deliciæ trahunt,
Non non eſt Deus illic.
In cœlis habitat Deus,
Extra quem mihi nil volo.
Quem propter mihi cernere
Datum eſt tela diei.
Hîc mea eſt opulentia,
Hic omnis mea copia.

Heu heu quando tuum Deus
Te ipso explebis alumnum?
An non clamito sæpius?
An non flebiliter rogo,
Et singultibus ilia
Rumpo? nec tamen audis
Infelix ego centies,
Infelix ego millies.
Ah, me soluere nemo vult
Corpore hoc moribundo.

VII.

MOlli veste genas meas
Iam pubescere sentio,
Pura nunc etiam mihi
Traditur toga, Nestoris
Fortassis tria sæcula
Sint videnda: nec vnicum
Hîc desidero viuere.
Nam vita hæc onerosior
In dies mihi redditur.
Si verbum vetus obtinet:
Quem Deus sibi charum habet,
Letho iunior occubat,
Annis ô Deus, ô Deus
Meis demito, & addito
Viuendi cupidissimis.
Mors est ianua, ianuam
Ad te pande, tuos sine

(Quod

(Quod plorans toties rogo)
Annos viuere tecum.

IMPLORATIONES.

I.

BEata gens cælestium,
Omni beatitudine,
Quæ nauigatis fluctibus
Potire littus prosperum.
Secura de te, poscimus,
Nostram vicem ne despice,
Ne vestra sit felicitas
Periclitantium immemor.
Adhuc aramus æquora,
Sæuùm Notis turbantibus:
Interq; monstra plurima,
Per hoc salum natantia.
Auertitote belluas
Vestris precationibus:
Crepitantibusq; leniter
Austris replete carbasa.
Vt integris cum nauibus,
Et integris cum mercibus
Portus ad optatißimos
Queamus olim peruehi,

II.

MOntem Sion conſcendimus,
Ad ciuitatem vadimus,
Regione lucidiſsima
Struxere quam Dei manus.
At nos fatigat oppidò
Via longa, & inclementior.
Hanc vos precando, cælites,
Adimite laſsitudinem.
Nos rore veſtro ſpargite,
Auraq; veſtra paululùm
Afflate, quò contentius
Eamus, atque alacrius,
Quibus petiſtis æthera
Virtutibus, perinde nos
Præſtate earum compotes,
Et ſanctitate proximos.
Calcare Chriſti tramitem
Potuiſtis, hunc inſiſtimus.
Callis quibus communis eſt,
Communis eſto terminus.

III.

VObis, Deoq;, & Angelis
Nos deſuper ſpectantibus
Pugnamus acre prælium,
Caſtrisq; caſtra opponimus.
Non cæſtibus contendimus,
Mores palæſtræ ſpernimus:

Nec

Nec ſordidari olympico
Nobis amicum puluere.
Et vita noſtra ſcilicet,
Noſterq́; ſanguis quæritur.
Res ſumma ſummo ſæpius
Periculo fit proxima.
Non eſt fugam capeſſere,
Occumbere, æternùm mori.
Quod tertium relinquitur,
Triumphus obtinendus eſt.
Vos ſcuta, tela, caſsides,
Vos arma dura poſcimus.
Panoplia cæleſtium
Certabimus fauſtiſsimè.
Exercitus fortiſsimi
Supplete noſtras copias.
O indipiſci nobiles (indipiſcus) ab indipiſco vel. ſcor
Docete nos victorias.

IV.

QVicunque teſtimonium
Ieſu dediſtis inclytum,
Nec horruiſtis impiæ
Offerre morti corpora,
Veſtris beati Martyres
Iungamur ô phalangibus,
Qui charitate numinis
Extrema patimur omnia.

O flosculi cælestium
Intaminatæ virgines,
Fouete vestras quæsumus
Integritatis æmulas.
Flagrare tanto incendio,
Sed conflagrare non tamen
Quî possumus, ni vestra nos
Defensio seruauerit?
Reposta solitudinum,
Altorum & antra montium
Quicunque amastis, vrbium
Peccata dum timescitis,
Vestris opem sodalibus
Afferte supplicantibus:
In regna nos stellantia
Ab his vocate rupibus.

I. Non sunt condignæ passiones huius temporis, &c.

SI nihil in rerum natura ostendere poßis
Aut aliquo insigni præclarum, frugiferumúe,
Quod non ceu pretium curam velit atque laborem,
Túne ausis cæleste tibi promittere templum,
Sunt vbi lætitiæ mensura & fine carentes,
Dum nil conaris, dum te iuuat vsque sedere,

Dum dormire diem in medium, & potare Calenum?
Non reddunt Cererem nisi arantibus arua colonis,
Viuiparas matres sollers nisi vinitor instat
Falce vmbras premere, atque vlmis sociare maritis,
Aspicias sterile ad terram deflectere corpus.
Culturam floresq; petunt, herbæq; requirunt,
Et manibus multis ædes, ac mœnia surgunt.
Sæpius ipse dolor miseros dum pascitur artus,
Rursum alio, & multo grauioré dolore fugatur.
Lurconi semper licuit, semperq; licebit
Absque opera & nixu, & sine sollicitudine multâ
Curanti genium bene, rem confringere: verùm
Rem facere, hoc opus est, labor hic est, quod mihi qui-
Nondum aras etiam tangenti credere posit. (uis
Hasta tibi, pugnam nisi tentas, pura manebit,
Parma tibi, aduersos ni cædas, alba manebit.
Abstinuit Venere, & lympha domitauit Iacchum,
Terrestrem cœnam cœnauit, tempora noctis
Assumsit, madidum qui sese vtriusque Mineruæ
Artibus esse laborauit, contendere neruos
Perrexit, virtus quem ad culmina celsa vocauit,
Perpetuo & cuius nomen mandauit honori
Quæ cum ita sint, pectus iam nunc sudoribus offer
Multigenis, cæli post fata in parte locandus.
Tolle oculos, collætantes tot millia diuos
Respice, & exemplis ne sperne illustribus vti.
Maiorum reputa virtutem, animosq; viriles,
Neu sine degenerem timor arguat. Omnia demum

Horrida quantumuis, dictu & factu aſpera longè,
Seu patiunda cruentarum laniena ferarum
Conſcriptis coram, & populo ſpectante Quirini,
Siue etiam tolerandus erit Mezentius alter,
Mortua qui, vt perhibent, iungebat corpora viuis,
Seu te raptabunt Metij in diuerſa quadrigæ,
Seu rota, ſeu tauri maneat te forma Sicani,
Cuncta hæc ſidereas non ſunt penſantia ſedes.
Nil dignum cælo, cæli niſi conditor ipſe.

II. Eccleſia triumphans ad Eccleſiam militantem.

QVæ nobis pugnanda fuerunt bella per orbem,
Ceſſarunt pugnata nec infelicibus armis,
Dum pater altitonans ſtellata intentus ab ora
Extimulatq; ſuorum animos, & robore fulcit.
Ille dedit virides optato in munere palmas,
Ille etiam eximias auro rutilante coronas,
Nimirum auguſti pulcherrima ſigna triumphi,
Atque hilarem dixit victores viuite vitam.
Neu finis ſit lætitiæ, neu terminus æui,
Haud vllum ſciat ipſa modum reperire voluptas.
Sunt tamen in terris mihi adhuc bene millia multa
Certantûm, & dura belli ſub mole gementûm,
Hos veſtrûm ſimiles faciet mea magna voluntas.
Nam generoſè olim functos caſtrenſibus annis,
Sublimes rapiam, & ſecura in ſede locabo.
Vos vbi videritis veſtras augeſcere turbas,

Et com-

Et commilitium regno succedet eodem:
Tum verò liquefacta noui præcordia motus
Tentabunt, tantoq; magis pia gaudia crescent.
Talia cunctipotens, quæ pandimus omnia vobis,
Quos natura eadem, quos relligionis honores,
Et consanguinitas nobis, & fœdera iungunt.
Certamen certate bonum, date stragis aceruos.
Vincite, decretum est pretium victoribus ingens,
Quantum nemo queat facunda exponere lingua.
Erigitote animos, cœloquè attollite vultus,
Hæc patria est, patriam totis adamate medullis,
Vos huius desideriumquè, & cura fatiget:
Hîc vita est vitalis, & incomprensa voluptas.
Iam dudum properate, locosq; implete vacantes,
Addite vos socios, & cœtibus addite cœtus.
Currite, vt vnanimes sedem insideamus eandem,
Ac per sæcla DEO summa cum pace fruamur.
Excipient natosq; suos, natasq; parentes,
Et collo infusi, & carpentes oscula, lætas
Effundent clamore pio per sidera voces.
Fratribus occurrent collucenti agmine fratres,
Chara soror charas est amplexura sorores:
Occurrent soceri generis, & amicus amicum
Expectatum hyemes tam multas, carmine dulcì
Affatus, secum ad diuina palatia ducet.
O quam nunc agitis libeat valedicere morti:
O libeat tandem nobiscum habitare per æuum
Aeternasq; domos, atque immortalia regna.

III. Virginum prudentium, & Sponsi occursus, ex D. Matthæo.

Tempus adest, agedũ somno consurgite nymphæ,
Et gressu Sponsum aduentantem tendite contra.
Aligerûm innumeris sese stipante cateruis,
Gemmatusq; caput, Tyriumq; indutus amictum,
Ore renidenti, & mentem placidissimus affert.
Tempus adest, agedum somno consurgite nymphæ,
Promissasq; olim sedes, sanctosque hymenæos
Ornatuq; nouo, & lætanti pectore adite.
Quis nouos hic clamor? vox isthæc cuia sorores?
Surgamus, Deus ecce vocat, iam tempus eundi.
Ibamus cur nos tardauit inertia? cur nam
Torpida languidulo cesserunt membra sopori?
Iam medium cæli spatium subuecta tenet nox,
Surgite, & ad Sponsum viuas perferte lucernas.
En ego dum moneo blandam soluisse quietem,
Et iubeo castas Sponso occursare puellas,
Sponsus abest propius, iam festinare decebit.
Ite viam, prodite palàm, date, reddite voces:
Visite cælestes thalamos, æternaque festa:
Reddite & amplexus, & amori reddite amorem.

Vox

Vox Christi.

VEnere felicißima
Vobis, mihiqúe tempora:
Venit dies perennibus
Pridem ſtatuta nuptijs.
Mecum venite ad nuptias,
Meis vacate gaudijs,
Quotquot tenetis igneas,
Plenasq; oliui lampadas.

Vox Virginum.

TVo vocatu venimus,
Tecum eſſe concupiſcimus.
Duc nos amantes, ô amor
Ad nuptiale gaudium.
O nos beatas affatim,
Cum templa tua videbimus:
O centies miſerrimas,
Queîs ianuam præcluſeris.

IV. Beatorum, & damnatorum comparatio.

ET tandem poſtrema dies voluentibus aſtris
Affuit, alternos Phœbus, Phœbeq; labores
Compoſuere, polus placida ſtatione quieſcit.
Vnuſquisque ſua eſt mercede affectus ab illo,
Tradita totius cui ſunt moderamina mundi.
Ergo vbi terribilem tuba bombum efflauit ad auras,

Celsior ipse loco, cælo manifestus aperto
Consedit iudex, dextra læuaq; virorum
Bis senûm magna assedit grauitate senatus.
Penniger auratum fratres cinxere tribunal.
Iamq; locus dexter mansuetis est datus agnis,
Iamq; locus læuus fœtentibus est datus hircis.
Ore à iustifico sententia fluxit in ambos,
Exoptata bonis, ast formidata scelestis.
Quippe etenim æternas sunt iussi exsoluere pœnas,
Stelliferis contra succedere sedibus agni.
Illos mancupio rapiunt Cocytia turba,
Plorantes, lamentantes, miserumq; gementes,
Atque reluctantes vastis fornacibus omnes
Clamore horrendo iniectant, sine fine cremandos.
Hos animumq;, oculosq; noua dulcedine lætos
Pennati iuuenes comitant ad gaudia nunquam
Vllo (certa fides) intermorientia sæclo.
Dicite qui colitis iam nunc Acherusia regna;
Num fatui quondam, vobis qui sponte relictis,
Tot scelerumq; viis, nusquam de tramite recto
Transuersum mouere pedem, nec fræna pudendis
Laxauere cupidinibus, qui corpora duris
Afflixere ministeriis, & pectora castis
Formarunt studiis, pura cum relligione,
Cum prece, cum lacrymis, perq; alta silentia noctis,
Per solidumq; diem quærentes vsque salutem?
Vos potius fatuos, & lapsos mente fatendum est:
Vos intemperiis, cæcisq; furoribus actos

Eumenidum, ſceleraſſe animos, deſponſaq; ſanctæ
Præmia virtuti pede conculcaſſe ſuperbo.
Nunc illi demum ſibi vitam agitare videntur,
Mortem agitaſſe prius: vos vitam egiſſe per annos
Ob paucos, nunc perpetuus dum viuitis annos,
Aeternumq; mori, & moriendo viuere ſemper.
Illorum in riſum migrauit fletus, amica
Dum Deus ipſe manu rorantia lumina fletu
Tergit, & alloquio mœrentia pectora mulcet:
In fletum veſter migrauit riſus, & omnis
Lætitia in luctum ſe tranſmutauit amarum.
Mens ſecura illis: ſed vobis conſcia noxæ
Carnifice aßiduo magis importuna flagellat.
Sanctorum exprimitur nullo ſermone voluptas:
Veſtri expromuntur nullo ſermone dolores.
Hi lepidis ſuperam recreant concentibus aulam,
Et laudes ſummo regi, gratesq; loquuntur:
At veſtris Stygiæ reſonant vlulatibus oræ.
Veſtrum opus, & diuos, diuorum ipſumq; parentem
Blaſphema (& pateris Deus hoc?) cōſcindere lingua.
Ergo agite, in numerum cæleſtes ludite ciues,
Ludite, & altiſonos certatim tollite plauſus.
Concinitote melos, lætum canite Alleluia.
Vos Phlegethontæi gemitus geminate perennes,
Vocibus æternis væ væ modulamini, & heu heu.

V. Venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit ſe.

Carmen Nuptiale.

ANGELI.

CHORVS, SEMICHORVS.

C. *Dilecta, & totis olim quæsita medullis,*
En hodie coniux nitidißima ducitur Agno.
S. *Mystica connubij celebremus festa sodales.*
C. *Huius amor Regem quondam deduxit olympo,*
Corporeaq́; Deum circumdedit ipse figura.
Per varios casus, per diuersosq́; labores,
Perq́; vrbes multas, & per discrimina rerum,
Per flagra, per tormẽta, per ipsam deniq; mortem
Hæc illi tandem coniux, tandemq́; reperta est.
S. *Mystica connubij celebremus festa sodales.*
C. *Non hunc illa prior charum sibi cæpit habere:*
Quin etiam fugitare, aliosq́; perire maritos.
Ille in amare prior, sunt progenerata priusquam
Quattuor ampliuagi genitalia corpora mundi.
Solus ab æterno Deus odit tempore, & idem
Quos amat, hos amat ante æui primordia solus.
S. *Mystica connubij celebremus festa sodales.*
C. *Qualis erat spõsa hæc, quantũ modo distat ab illa,*
Quæ nuper querulis viuebat subdita morbis,
Subdita sexcentisq́; malis, tristiq́; senectæ:
Et quia nata homo, communi quoq; debita letho?
Nunc absunt, aberuntq́; incommoda cuncta, su-
Aetates infinitas, felixq́; manebit. (perstes
S. *Mystica connubij celebremus festa sodales!*

C. *Sic*

C. *Sic tener, & niueus, & tam formosus, odorus*
Nunquam adeo septis flos est eductus in hortis,
Quam tenerum, & niueum, næuo sine, quamq́;
(venustum,
Plus & Achæmenias exhalans suauiter auras
E tumulo proprumpenti iam contulit ipse
Ipse suæ nuptæ Rex grandi munere corpus.
S. *Mystica connubij celebremus festa sodales.*
C. *Quam similis decor est sponsi, sponsæq́; per artus?*
Vt nil mundius his, vt nil est mundius illis?
Vt cincti radijs? vt pura in luce refulgent?
Vt pollent incredibili quoque mobilitate,
Subtiles, aptiq; nihil sentire molestum?
Talis ab informi surrexit funere Sponsa.
S. *Mystica connubij celebremus fest a sodales.*
C. *Quam validis censes iungentur nexibus ambo?*
Diuidet implicitas nunquam discordia mentes:
Velle ac nolle vnum, voto viuetur eodem.
Sponso longa huius fuit exspectatio lucis,
Longa fuit Sponsæ flammatũ propter amorem,
Qua tua discupijt præsens, Christe, ora tueri.
S. *Mystica connubij celebremus festa sodales.*
C. *Ipsa tuos Iesu thalamos noctesq́; diesq́;*
Suspirans, crebris precibus cælum omne repleuit.
Ipsa tuis quoties stringi sua colla lacertis
Immodico desiderio exoptauit, & illa
Posse frui lingua, dulci super omnia lingua,
Et labijs accepta tuis ferre oscula sancta.

S. *Mystica connubij celebremus festa sodales.*
C. *Hæc festa, has tædas, hæc connubialia sacra*
Pronubus inceptauit amor, quem dicere non est.
Magnus amor sponsi paruo est contentus amore.
Non Deus vlla sibi dotalia dona reposcit:
Gratis amat, gratis sacrato nubitur Agno.
Cælestes animæ cælesti nubite sponso.
S. *Mystica connubij celebremus festa sodales.*

FINIS.



AVGVSTAE VINDELICORVM,
ad insigne pinus,
Excudebat Ioannes Prætorius.
Cum privil. Cæsaris perpetuo.
Anno Domini M. D. XCVI.

sacrosanctus · 122

195